KRESSIANA
DE
AEQVILIBRII
ALIOQVE LEGALI
JVRIS GENTIVM ARBITRIO
IN GENTIVM CONTROVERSIIS
PACIS TVENDAE CAVSA
INTERPONENDO

DISQVISITIO
SPECIMINIS INAVGVRALIS
LOCO
CONSCRIPTA ATQVE IN LVCEM EDITA
A
GE. LVD. ERASMO AB HVLDENBERG.

(22½)

HELMSTADII,
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
AN. MDCCXLVIII.

Biblioteca Nazionale V.E. III NAPOLI

DISSERTATIO SOLEMNIS JVRIDICA

DE

ÆQVILIBRII LEGALIQVE ARBITRIO INTER GENTES VTROQVE ET PACIS ET BELLI TEMPORE INTERPONENDO.

CAPVT I.

DE VARIIS PACEM VEL TVENDI VEL RECVPERANDI MEDIIS INTER GENTES.

SVMMARIA.

§. I. *De duobus temporibus vitæ humanæ pacis bellique, ut & de illius incertitudine.*

§ II. *De pacis excellentia præque ſtatu bellico præſtantia.*

§. III. *De maximis belli incommodis deque neceſſitate pacem bello præferendi.*

§. IV. *De primo pacis remedio, Monarchia univerſali.*

§. V. *De noxietate huius remedii.*

§. VI. *De ſecundo pacis remedio, coniunctione plurimum populorum ſub uno capite nexu diverſo.*

§. VII. *De tertio pacis remedio, confœderatione univerſali, vel generali.*

§. VIII. *De fœderum uſu & abuſu.*

§. IX. *De quarto pacis remedio nempe neutralitate.*

§ X. *De quinto remedio, pacificationum clauſulis.*

§. XI. *De ſexto remedio pacis, principum congreſſibus*

§. XII. *De Difficultatibus congreſſuum principum.*

§. XIII. *De* VII *&* VIII. *remedio pacis, compromiſſo & ſorte.*

§. XIV *De nono remedio pacis, certamine ſingulari.*

§ XV. *De decimo remedio, ſcilicet de mediatione, ſive conciliatoribus pacis.*

 §. I.

§. I.

HOminum vita inter duo diverſiſſimorum temporum intervalla, quæ continua viciſſitudine ſe invicem ſequuntur, pacis ſcil. atque belli, elabi & pertranſire ſolet. Quænam intervalla ex his duobus præſtantiora ſint, facile intelligitur, ſi modo pacis belliqueindoles & ſequelæ ſeparatim inſpiciantur. Conſiſtit autem pax in ceſſatione armorum & violentiæ firma, & quatenus humana conditio admittit certa, vel ſi mavis in quiete hominum externa, in tantum, in quantum mundana, & huius vitæ bona eſſe ſolent, ſtabili atque durabili. Sunt hæ deſcriptiones adeo claræ & perſpicuæ, ut citra, cavillationem, aut vanum fluctus in ſimplo movendi pruritum, nihil fere in iis reſtare videatur, quod ulteriorem diſputationem mereri poſſit. Quis enim pacem dicere poteſt illum ſtatum, ubi arma & violentia dominantur, aut ubi omnia continua inquietudine perturbantur. Et quis viciſſim pacem adeſſe ſalva fronte negabit, ubi arma ſepoſita, ubi violentiæ non audiuntur, vel ubi omnia in profunda tranquillitate quieſcunt. Neque in eo aberravimus, quod pacem non ſtabilem, aut perpetuam quietem definiverimus, ſiquidem inter inſtabilia & momentanea, fruſtra ſtabilia atque perpetua quæruntur. Nulla pacem condentium, in ſuis actionibus rite componendis, perpetuitas, & laudabilis tenacitas, nulla proinde quoque in illorum pacis inſtituto, conſtantia, & perennitas. Decori ſervandi & ſpecioſæ exiſtimationis obtinendæ cauſa, mundus pacificationes ſuas ab induciis, durationis nomine ſecernit, illasque æternas, has temporarias eſſe perſuaderi cupit; experientia rerum magiſtra alia omnia ubique demonſtrante. Sunt pacificationes, ſi candidiſſime inter ſe gentes agunt perpetuæ quidem, ſed non niſi mente, præſenti conſilio, præſentique voto, ut forte perpetua monaſticorum obedientia, paupertas, & caſtitas, quæ ſemper fere voventur, nunquam vere foventur.

§. II. Enimvero de excellentia & utilitate pacis aliter omnino iudicandum, quam quidem de eius duratione. Nam pax, uti

uti dictum conſiſtit in ceſſatione violentiæ & in ſtatu quieto. Qualis hic ſtatus eſt? eſt ſtatus, ubi citra hoſtium impedimentum, ipſi de actionibus noſtris e proprio voluntatis arbitrio ſtatuere, bona eligere, mala reiicere, rectum ſequi, perverſa fugere, quæ nobis deſunt parare, partisque uti frui poſſumus. Si itaque tria ſunt, quibus potiſſimum homines ineſcantur atque paſcuntur, gloria, divitiæ & iucunditates: conſequens eſt, ut pacis nomen omnibus ſe debeat commendare. In pace enim ſecundum leges & virtutem vivere, adeoque veram gloriam conſequi, modis legitimis opes acquirere adeoque ad divitias pervenire, & tandem utroque hoc, gloriæ & divitiarum bono, ſecure gaudere, vel quod idem eſt, iucunditatibus animum perfundere, adeoque miro compendio omnium trium naturalium propenſionum oblectamentis, ſe pro conditione humana erigere & recreare licet. Eſt igitur pax præſtantismum illud ſtadium, ubi in vita iuſta honeſta ſufficienti, atque iucunda, ad ultimam metam, qui volunt, decurrere queant. Vnde veteres pacem nunc *optimam rerum*, nunc *nomen eius dulce*, *rem vero ipſam iucundam & ſalutarem*, nunc *bonum*, *quod omnes poſcunt* dixerunt, nunc hominum felicitatem tribus, *iuſtitia legibus*, *&* *pace* abſolvi, tradiderunt. Nec nos morantur, quod alii conqueſti ſint, diuturnæ pacis fructus otium, inertiam, luxuriam, intemperantiam & diſciplinæ corruptionem eſſe. Vel uti eſt apud Juvenal:

Nunc patimur longæ, pacis mala ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.

Qua de cauſa TACIT. *in vit. Agricolæ* BRITTONES laudat *quod illos longa pax nondum emolluerit.* Aſt hæc omnia non ſunt fructus pacis, optimi utique agri, ſed ex malo ſemine hominum protervia iniecto, propullulans zizania. Nec interdum aliter fieri ſolet, ubi etiam non eſt pax, naſcuntur, & ibi inertia, luxuria & pleraque alia mala, ſed audiamus potius ſolutionem huius obiectionis ex SALVIANO MASSILIENSI *p. 119. d. G. D. Si quando exoratus*, inquit, *ſua ipſa miſericordia Deus* PACIFICOS *nobis dies & divitem tranquillitatem, & abundantiam dederit ſupra vota creſcentem, tanta ſecundarum re-*

 rum

rum proſperitate corrumpimur, tanta morum inſoleſcentium pravitate vitiamur, ut & Dei penitus obliviſcamur & noſtri. Et cum omnem fructum datæ a Deo pacis, in hoc conſiſtere Apoſtolus dicat, ut tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate, ad hoc tantum data a Deo quiete utimur, ut in ebritate, ut in luxuria, ut in omni ſcelere atque impietate vivamus. Et alibi p. 131. Eſto, ait, *ſint vitia longæ pacis & opulentæ ſecuritatis. Cur quæſo, illic quoque ſunt, ubi nulla pax, ubi nulla ſecuritas? in omni ferme orbe Romano pax & ſecuritas non ſunt, cur ſola tantum vitia perdurant. Quis rogo ferre poſſit in homine egeſtuoſo laſciviam eſſe? criminoſior quidpe eſt luxurioſa paupertas & maioris invidiæ miſer nugax, totus Romanus orbis miſer eſt & luxurioſus.*

§. III. Magis adhuc conſtabit paci ſua laus, ſi & de belli natura diſpicimus. Eſt hoc: *ſtatus per vim concertantium, armisque inter ſe collidentium*, vel *inquietudo hominum externa, durabilior ſæpe & diuturnior, quam initio bellantes ſperabant.* Comites huius datus fere individui ſunt, conculcatio legum, contemtus virtutis, direptio vel deſolatio opum, terrores, anxietates & moleſtiæ a ferocienti milite tantum non in infinitum auctæ. Hic non licet vitam ducere in pietate, honeſtate, rerum ſufficientia & iucunditate, ſed de malo ſemper in peius res feruntur. Imo non tantum tot novæ belloque propriæ calamitates hic naſcuntur, verum illa quoque vitia, quæ homines in pace peſſimo more nutrire conſueverunt, & hic conſurgunt, cuius rei teſtimonium certiſſimum e SALVIANO recitavimus. Neque in contrariam ſententiam movemur, ſi quis coronas, trophea, currus, ſimulacra oppidorum, iovis inſignia & alia triumphorum ſplendida oſtenta, nobis commemoret. Si hæc omnia non in pace, aut otio naſci, ſed ſolius belli nobiliſſimos fructus eſſe dicat. Si ulterius ad tot acquæſtus, ad tantos divitiarum cumulos ſanguine atque armis partos provocet. Si honores & opes iucunditatem ſua ſponte ſequi, & proinde bellum præcipuis hominum cupiditatibus ſatisfacere, addat. Nam bellici honores, opes, atque vitæ commoditates, non tantum a pauciſſimis acquiruntur, ſed inſuper

non

non niſi longe plurium oppreſſione, contemtu, bonorum exſpoliatione atque ærumnis conſtant, & comparantur. Vt de illis non incongrue dici queat quod alias medici v. c. de catharris perhibent, quod ſint boni quidem effectus, ſed malam cauſam agnoſcant. Certe bellici ſpecioſi theſauri rariſſime, cum iuris legumque ſcientia atque conſcientia bene ſtare & convenire ſolent. Imo, ſi penitius res conſideretur illa ipſa quoque tria bona honor, divitiæ, vita ſuavior & iucundior, longe aliud in ſtatu belli, quam in ſtatu pacis ſub ſe continere, atque ſpecie nominum incautis imponere videntur. Quid enim in bellis præcipue iniuſtis, quæ frequentiora eſſe ſolent honor? an illud, quod alias honeſtatem dicimus, imo non, ſed non raro ferocia atque audaciſſima crudelitate excitatus rumor, vel quod parum e dictis differt *in bello malarum rerum audacia fortitudo vocatur*. Quid divitiæ, an laboris Deo placentis præmium? plane non, ſed ſpolia miſeris extorta, rapinæ pretium. Nec iucundum hic in vera rectæ mentis delectatione conſiſtit, ſed in luxuria, quæ libidine morumque diſſolutione, ut honore ſuo colitur. Neque dicta tantum ad bella, quæ iniuſtam cauſam habent ſpectant, ſed ad ea quoque, quæ iuſtis ex cauſis ſuſcipiuntur, facile applicantur. Nam licet in cauſa hic nihil ſit vitii, multa tamen mala non tantum ſontes, ſed quoque innocentes, modum, quo regulariter bella geri ſolent, ſequuntur, bonaque cauſa non raro a malis militibus peſſime defenditur. Nec enim monita, quæ circa bella ex iuſtis cauſis ſuſcipienda, GROTIVS conquiſivit, nec temperamenta, quæ idem circa ius interficiendi perſonas, circa vaſtationem regionum, circa captos, circa acquiſitionem Imperii & ſimilia, magna opera atque ſtudio excogitavit, ultra librum ipſius, ubi typis, exſcripta extant, in caſtris, præſidiis, ſtativis, aut hoſpitiis militum inveniuntur, aut obſervantur. Vnde recte iudicavit MAXIMVS TYRIVS: *de bello etiamſi demas iniuſtitiam ipſa per ſe neceſſitas miſeranda eſt. vid.* GROT. *L. II. c. XXIV. §. final. ubi plur.* Differunt itaque ſtatus belli, ſtatusque pacis, ſat evidenter. Ille enim ſtatus, eſt ſtatus ubi leges florent virtuti pretium ſtatuitur, labores divitiæ

 ſe-

ſequuntur, bonæ artes coluntur, ſtudiis liberalibus ſuus honor conſtat, ferociorum iræ cohibentur, meticuloſorum ſecuriati proſpicitur, divitum avaritia temperatur, egenorum miſeria ſublevatur, malis obex ponitur, boni ad maiora audendum laude, acclamatione, & præmiis excitantur. Hic autem ubi omnia ſecus ſe habent, leges ſilent, virtus vilipendio eſt, laborum, vel nulli, vel incerti fructus, artes optimæ, ſtudia liberalia plusquam ſepulta iacent, technæ peſſimæ, ſtratagemata nefaria caput efferunt, ferociorum auſus ſub fortitudinis ſpecie laudantur, meticuloſi plane exanimantur, ducum belli rapacitati omnia reſervantur, egeni fame necantur, mali per omne vitiorum ſtadium libere decurrunt, & cum omnia liceat, non licet eſſe bonum, & ſi quæ alia maximi momenti plura diſcrimina. Ex his omnibus nullo negotio elicitur concluſio, quod pax ante omnia, quamdiu haberi poteſt ſequenda, bellum autem non niſi extra ordinem, atque iubente demum neceſſitate, non alio fine, quam, ut pax fida recuperetur, vel malefida magis firmetur & ſtabiliatur, ſuſcipiendum ſit. Vnde quoque factum eſt, quod tot ab omni ævo ſalutaria pacis excogitata fuerint remedia. Ex quibus nunc quædam ſeligere atque diiudicare animus eſt.

§. IV. Primum locum inter hæc merito occupat Monarchia univerſalis. Nam inter concives unius reipubl. regulariter non ſolent bella geri, ſed, ſi quæ oriuntur lites, ad iudicem itur, qui easdem legitima & pacifica ratione componit. Imo pacis inter ſe colendæ cauſa homines inſocietatem civilem coiverunt & respublicas condiderunt. Neque aliud efficacius inſtitutum in hunc finem dari videtur, in republ. enim arbitrium de meo & tuo, quod alias ſingulis relictum bella & concertationes parit, in imperantem translatum eſt, qui, utpote extra partium ſtudia poſitus quieto atque ſedato animo ſuum cuique attribuit. Vnde ad pacem in univerſo humano genere obtinendam, & corroborandam accommodatiſſimum medium eſſe apparet, ut unus imperium in omnes quærat, omnesque unius monarchæ iuſſibus obſequantur. Neque de-

fue-

fuerunt *1. omni fere ævo principes, qui eiusmodi imperium affectarunt, ut ſatis ex hiſtoria conſtat. Enimvero plura circa hoc inſtitutum monenda occurrunt. Initio minus iuſta belli cauſa eſt, de eo tantum, (uti quidem ab iis, qui univerſalem Monarchiam intendunt, fieri conſuevit) cum ſumma iactura ſæpe, & cum multa ſanguinis inocentium populorum effuſione, cum aliis diſceptare, quis populorum res curaturus ſit. * 2. Nec enim tutores damno pupilli, uter ad tutelam ius habeat, litigare debent, nec nautarum eſt periculo navis, quis eorum potiſſimum gubernet, certare. Vti hæc omnia probe obſervavit GROT. *L. II. c. IV. §. 8. n.* 2. Deinde non multum boni * 3. ſperare licet ab illis, qui tanta regnandi cupiditate vexantur. Exemplo iam ſit Alexander M. quem SENECA *L. 1. c. 13. de benefic.* ita deſcribit: *At hic a pueritia latrum,*

---

* 1. Præ cœteris hic commemorandus eſt Alexander M. huius molimina egregie depingit SENECA cum hinc inde, tum præcipue *epiſt. XCIV.* „ Agebat inquit Alexandrum furor aliena vaſtandi ut & ad ignota mitteret, An tu putes ſanum, qui a Græciæ primum cladibus, in qua eruditus eſt, incipit: qui, quod optimum eſt cuique eripit. Lacedæmona ſervire iubet Athenas tacere. Non contentus tot civitatum ſtrage, quas aut vicerat Philippus aut emerat, & alias alio loco proiicit & toto orbe arma circumfert: nec ſubſiſtit usquam laſſa crudelitas, immanium ferarum modo, quæ plus quam exigit fames, mordent. „ Recentiori ætate Hiſpani atque Galli invicem ſe accuſarunt, & apud alias gentes crimen affectatæ Monarchiæ univerſalis ſibi, non ſine veroſimilitudine ab utraque parte intenderunt.

* 2. Laudat antiqua tempora SALLVST. *c. 2. de bell. catilin.* quaſi iſthoc ævo vita hominum ſine cupiditate transacta fuiſſet, & ſua cuique placuiſſent. *Poſtea vero quam in Aſia Cyrus in Græcia Lacedemonii & Athenienſes cœpere urbes, atque nationes ſubigere; libidinem dominandi,* CAVSAM BELLI *habere: maximam gloriam in maximo imperio putare &c. tunc fortunam cum moribus immutatam fuiſſe.*

* 3. Vidit iam hanc obſervationem Stephanus Medicus Perſarum regis ita enim apud PROCOP. *XI. bell. perſic. Tibi rex maxime in cladibus & pugnis & urbibus ſubigendis occupato, alia forte nomina contingant,* BONVS *autem, ut per hæc credaris, fieri nequit.*

tro gentiumque vaſtator, tam hoſtium pernicies, quam amicorum, qui ſummum bonum duceret, terrori eſſe cunctis mortalibus; oblitus non ferociſſima tantum, ſed ignaviſſima quoque animalia timeri ob virus malum. Porro plura quoque mala *4. ſequuntur ſubditos talis principis inquieti, facultates eorum continuis maximis exactionibus exhauriuntur, rationes domeſticæ turbantur, plane nec ſanguini illorum parcitur, ſed largiter in bellis ambitioſe ſuſceptis profunditur. Vt nihil dicamus de technis *5. malis artibus & fraudibus, quibus eiusmodi graſſatori in publicam perniciem nato opus eſt, ut vicinos ſuos ſupprimat, illorumque ſpoliis atque exuviis dominatum ſuum locupletet. Imo contra molimina univerſalis Monarchiæ, pluribus diſputare inutile eſt, non magis enim extitit vel exſtabit, quam chimæra, vel Hippocentaurus aut alia otioſorum ingeniorum commenta. Vniverſo terrarum orbi præeſſe divinum opus eſt, atque ad reſervata ſupremi numinis ſpectat. Fruſtranei fuerunt & ſcopo ſuo exciderunt omnes Chaldæorum, Aſſyriorum, Perſarum, Medorum, Græcorum, Romanorum aliorumque Deorum minorum Gentium, in hanc rem ſuſcepti conatus. Sapientiores itaque principum mature *6. ab his ſibi temperarunt conatibus & potius de Regno limitando, atque intra fines continendo, quam de illo in infinitum promovendo cogitarunt, quem in locum Auguſtum,

---

*4. *De telles penſées d'un prince ruinent les ſuiects en dedans* (inquit auctor du BOVC. LIER. D'ETAT, *& cauſent de l'envie par dehors.*

*5. Conſentit. ABBAS ST. PETRI *p. 126. memorial. Car enfin quelle voye ſeroit-il obligé* (monarcha nempe univerſalis) *de prendre pour reuſſir, que de voyes de trahiſon contre ſes traittés. Nous avons,* (inquit idem ABBAS, *in fin. memorial. p.461) montré que l'idée de conquerir l'Europe eſt une idée parfaitement chimerique.*

*6. Agitavit hoc conſilium Auguſtus, licet non publicaverit vivus. Nam poſt mortem demum ipſius libellus lectus eſt in ſenatu, quo ſuaſerat, ut Imperium intra terminos coerceretur *Tacit. L. I. Annal. c. 11.*

ſtum, * 7. Hadrianum, Carolum M. * 8. præcipue referimus atque laudamus.

§. V. Cum vero ex dictis conſtet, quod cogitationes de ſtabilienda Monarchia univerſali, nitantur cauſis iniuſtis, depravent atque corrumpant mentem, moresque ipſius principis talia animo volventis, enervent robur civium propriorum, turbent ac devaſtent terras vicinorum, vellicent vincula communis humanæ ſocietatis, nec tamen unquam ſuo potiantur ſcopo: nimium evidens eſt, quod perperam pro genuino pacis ſalutisque Gentium remedio habeantur. An autem Gentibus per vim a conditore Monarchiæ univerſalis quondam ſubiugatis, fas ſit occaſione aliquando affulgente, excuſſo dominatus iugo, ad priſtinam libertatem provocare, non ſatis convenit. Sunt quibus perpetua ſecedendi licentia placet, * 1. nec enim iniuſte quæſita, ideo quod diutius per iniuriam a raptore poſſideantur, pro iuſte acquiſitis venditari poſſe. Sunt

 qui

* 7. Hic deſerebat, quæ Traianus ante ipſum ultra Euphratem acquiſierat, volebatque ut Euphrates imperium Rom. terminaret. Eandem curam primis regibus mortalium adſcribit IVSTINVS *princip. hiſtor. Finis dicit imperii tueri magis, quam proferre mos erat: intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum veterum & quaſi avitum gentibus morem nova Imperii cupiditate mutavit.*

* 8. Oſtentabatur Carolo a Græcis illorum Imperium, cum Nicephorus malo ſuo regimine omnium odia ſibi conciliaſſet, quod ille acceptare Francorumque Imperio iungere noluit. Egregie miſeriam regum regna ſua perpetuis bellis dilatantium deſcribit AVGVSTIN *de civit Dei L. IV. c. 3.* ſcilicet inquit *in eiusmodi magnis regnis non felicitas, ſed vanitas dominatur* &c. 10. L. III. *Nonne*, ait, *in corporibus humanis ſatius eſt, modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quam ad molem giganteam perpetuis afflictionibus pervenire.* Adde *c. 11. L. IV. ibid.* Vnde etiam Ludovicus XIV, ne ſolius vanæ gloriæ inſtinctu, ne ex ſola terminos regni in infinitum promovendi ambitione, ſucceſſores, heredesque ipſius, bella cruenta ſuſciperent, ſeria rerum a ſe geſtarum pœnitentia ductus, iam morti vicinus crebrius monuit, ſummaque ratione iuſſit.

* 1. LOCKI *in tract. de Guber civil. c. XV.* philoſophia huc redit: *En effet, il ſeroit abſurde de dire, qu' un prince conquerant a droit de prendre tout*

qui diſtinguunt, an probabilis ſpes ſubſit, per ſeparationem, vel diſceſſum a reliquo Monarchiæ corpore ſalutem publicam *2. populi diſcedentis promotum iri, an vero maior cauſa adſit magnum & exitiale quaſi malum metuendi. Aliis eo reſpicere placet, utrum, vel diſertis verbis, vel facto reque ipſa ſubiugati oppreſſori fidem dederint, eiusque Imperium *3. agnoverint, an horum nihil adhuc acciderit, ſed omnia fluctuent adhuc in incerto, nec de animo hoſtili utrinque exuto conſtet. Quibus & nos haud inviti accedimus, modo per vim iniuſtam, & præſentem non iniquiſſima promiſſa extorta ſint a rigoroſo crudelique dominatore.

§. VI. Secundum ſervandæ pacis medium, quia nemini licet pervenire ad primum, Monarchiam univerſalem, videtur eſſe coniunctio plurium populorum per potentiorem; vinculis & legibus diverſis. Quo conſilio quondam Romani ſuis aliorum-

---

tout ce qu' il peut, & que, des qu' il a poſſedé quelque tems, les peuples, qui naitront dans les pais conquis, pendant tous les ſiecles avenir, ſont par avance ſoumis, de droit divin, a ſa domination, ſans que ces peuples puiſſent iamais ôter a ſes deſcendens, ce qu' un de leurs predeceſſeurs a pris par force.

* 2. In hunc ſenſum differit CLERICVS *Bibliotb. univerſ. tom. XIX. p. 580.* ubi LOCKII librum ſummatim refert, additque *la verité eſt, qu' il ya de grandes difficultes ſur cette matiere, a cauſe des malheurs de guerres civiles, que l' on doit tacher d' eviter, autant qu' il eſt poſſible. Mais il ſemble que tout ce Droit, que l' on peut etablir dans cette occaſion, êtant fondé ſur le bien public, qui eſt la ſouveraine Lois, il faut voir, ſi ce qu' on entrepend ſera probablement plus de mal, que de bien a la ſocieté. Si cela eſt, ce qu' on fait devient iniuſte, mais ſi le bien, qui en revient eſt beaucoup plus grand que le mal, l' entrepriſe pourra etre nommé iuſte.*

* 3. Huc refert, quæ habent GROT. *de I. B. & P. L. I. c. 4. §. 16.* & PVFFEND. *L. II. de O. H. & C. c. 16. §. 14.* Referri huc poteſt exemplum Regni Luſitaniæ, quod patrum memoria Hiſpanorum dominatum excuſſit. Inſtigante proceres populumque regni prædicatore monacho, huc que trahente lectionem epiſtolicam, ſpeciatim verba pericopæ: Euer Heyl iſt jetzt näher als da ihr es hoffet. Quæ mox omnes ad arma capeſſenda excitarunt.

orumque rebus, & ſecuritati proſpicere ſolebant. Quosdam enim populos ſibi volebant eſſe * 1. amicos, quosdam * 2. ſocios, quosdam * 3. tributarios, cum quibusdam non niſi dura deditionis * 4. lege tranſigebant. Licet negari nequeat,

 quin

* 1. *Receptio in amicitiam peculiare beneficium Regum Romanis finitimorum fuiſſe videtur.* Sane Legati regis Syphacis *LIV. Lib XXVII. c.* 4. Romam miſſi, coram ſenatu conteſtabantur: *Regem nec inimiciorem ulli populo, quam Chartaginenſi, nec amiciorem, quam Romano; nunc Romæ ab ipſo veluti fonte Romanorum amicitiam petere Miſerunt quoque mox Romani, cum ad Syphacem tum ad alios Africæ Regulos, regesque Aegypti Ptolomaeum & Cleopatram, ad commemorandam renovandamque amicitiam.* In claſſem amicorum a P. Scipione receptus etiam eſt Rex Numidarum Maſſaniſſa *c.* 5. SALLVST. *bell. iugurth.*
* 2. Multum auxilii ad Romanorum res conſervandas ſocii contulerunt. Vnde tres potentiæ Romanæ fontes, ex quibus validiſſima copiarum flumina, quæ orbem terrarum inundarunt, laudat FORSTNER *p. 337. ad Tacit. Colonias, ſocios tribus.*
* 3. Stipendium quoque vocabant tributum, ſic Ægyptus ſtipendaria facta dicitur VELLEIO *L. II. c. 29.* ubi in hunc cenſum quoque Hiſpaniam Cappadociam, Illyrium &c. refert. Omnium Gentium ægerrime tributariam conditionem acceptarunt Germani noſtri, ut ex AMMIANO, MARCELLINO, GREGORIO TVRONENSI &c. probat LEHMAN *L. 1. c X. L 11. c.44. Chr. ſpir.* imo tributorum exactione Romani adeo Germanos irritarunt, ut nihil amplius ſibi cum illis commercii eſſe vellent, potius omne ſervitii militaris genus, omne vitæ periculum lubentiſſime ſubire, corpus & bona in bello, præſentiſſimo periculo, in gratiam aliorum exponere, quam onere tributorum vexari parati. Vnde immunitas prædiorum hodiernorum, pro charactere veri prædii nobilis habetur, & ordo equeſtris per Franconiam Sueviamque centies animum ſpiritumque pro Cæſare profundere mavult, quam vel leviſſimam pecuniolam ſolvere nomine tributi.
* 4. Socios ſuos Romanos ſupprimere ſtuduiſſe, iuſtasque illorum petitiones ſæpius per iniuriam ſpreviſſe, adeoque in univerſum fere male habuiſſe, ipſa belli ſocialis origo *c. XVIII. L. III.* apud FLORVM docet. *Cur enim* inquit, *Hetruſci, Marſi, Lucani bello oppreſſi, cur apud alios Romanorum ſocios omnia flammis ferròque Strabo & Pompeius populati ſunt, quam quia iuſtiſſima ſociorum poſtulatio, ut ad ius Civitatis Romanæ, quam viribus ſuis ſartam tectamque ſervaverant, atque auxerant, admitterentur, faſtui Romanorum ingens crimen videbatur.* Nominatim

quin Romani ſubinde hoc ſuo inſtituto abuſi ſint & ſocios ſibi, cum lucri, tum augendæ potentiæ cauſa aſciverint. Imo ſæpius non pacem gentium in ſocietatem receptarum, ſed aliis ægre faciendi, * 5. illosque ſub ſplendido ſociorum defenden-

minatim autem omnis ſocialis vinculi ſanctitatem polluebant, imo aliquando penitus proculcabant artibus ſuis plusquam pelasgis. Primo ſocios veteres parum cordi habebant, ſed plures novos, & quidem ſatis inopportune, cum iam his cum veteribus lis eſſet, veteresque, Romanorum auxilia ſibi contra hos tanquam hoſtes ſuos, debita imploraſſent, contra fidem & omnem æquitatem aſſumebant. Secundo arbitrium ſuper cauſis ſociorum, a quorum partibus ſcilicet iuſtitia, vel iniuſtitia ſtaret, pronunciandi, & deinde condemnatorum opes invadendi, ſibi attribuebant. Tertio ſi forte res circa iuſtitiam cauſæ in oculos incurreret, alia via rem aggrediebantur. Nempe cum ſociis ab aliis bellum, vel iam motum eſſet, vel ſatis probabiliter metuebatur, non erubeſcebant, veterum ſociorum hoſtes, cum omnibus illorum rebus inter deditios recipere, illorumque cauſam igne & gladio adverſus veteres ſocios, perfida prorſus & nefaria ratione defenſare. Quarto viciſſim autem in ſuis ſociis ſe aliis dedendi libertatem, ne quidem in caſu neceſſitatis, ferebant, ſed graviter coercebant, adeoque Romanis quidem licebat in præiudicium ſociorum damnumque maximum, plane hoſtes ſociorum pro lubitu recipere, ſed in ſocio Romanis inconſultis, etiam ultima neceſſitate urgente, ſe aliis dediſſe facinus erat. Quinto, cum ope ſocii huius vel illius non amplius egere ſibi viderentur, facile inveniebant modum, ipſum laceſſendi atque ad bellum provocandi, & tandem opprimendi, ut iam ex FLORO didicimus. Cœterum longe clarius atque prolixius, quæ in compendio retulimus, illuſtrari poſſunt, præcipue exemplis belli ſamnitici & Numantini, de quibus iudicioſiſſime egit Dn. THOMAS. *Diſſert. Lipſienſ. VI. & XIV.*

* 5. Satis placebat Romanis deditio, tanquam res ambitioni oppido grata & iucunda. Nam formula deditionis erat: *populum urbemque agros, delubra deum, divina humanaque omnia, in veſtram P. C. ditionem dedimus.* Itaque, cum illimitata atque herilis poteſtas, Romanis per deditionem deferri ſoleret, protectionem atque auxilia, aliquando ſua, ſi poſtulantes magna neceſſitate premi viderent, non viliori pretio, quam libertatis iactura illis vendebant. Nominatim deditionis lege recepti ſunt a Romanis Collatini LIV. *L. I. c. 38.* Campani idem *L. VI c. 31.* Præcipue deditionem iniungebant illis, qui, vel aperte hoſtes ſe geſſerant, vel

dendorum prætextu, laceſſendi ac debellandi occaſionem, callidis ſuis receptionibus quæſiverint & invenerint. Imo interdum inter ipſos ſocios iurgia foverint, atque deinde ſub ſpecie arctioris ſocietatis, aut plane deditionis, ſocio contra ſocium auxilia tulerint, ſociumque per ſocium afflixerint, vexaverint, donec, dum ſinguli ſocii incaute pugnabant, omnes vincerentur. Præcipuæ Romani amicis, ſociisque ambigua de Maieſtate populi *Romani comiter colenda* * 6. lege

 præ-

vel iuſſus & decreta illorum non ſatis reverenter habuerant. Vt vel Numantinorum & Jugurthæ exemplo conſtat apud LIV. & SALLVST. Imo interdum preſſos & afflictos, licet deditionem offerentes, plane non audiebant. Exempla huius argumenti refert, APPIANVS ALEX. *de bell. punic.* Ita Aſſi a carthaginenſibus vexati, Romanis ſe dedere volentes reiecti ſunt. Magis tamen notari meretur ea ſpecies, quam APPIANVS *in præfat.* ita exponit: *contenti* (Romani ſc.) *maritimis regionibus, omnium optimis, malunt has excolere, quam imperium in infinitum proferre, ad gentes barbaras domi* INOPES. *Quarum aliquos ego vidi in urbem legatos* VENISSE, *ut ſe ſuosque populares dederent, nec receptos ab Imperatore, ut ipſi* INVTILES. Obſerva ex his Romanorum rationem ſtatus, quæ ipſis inſtar normæ fuit circa recipiendos, vel non recipiendos in clientelam miſeros. Conf. GROT. *L. I. c. 3. §. 8. n. 31. ibique* TESMAR. Valde quoque iniquum ius erat, quo Romani in hoſtes utebantur, cum; quod illorum deditionem levi de cauſa, quia ſcil. murum iam aries percuſſerat, ut feram reiicerent, tum, quod etiam deditione accepta, deditos pro lubitu occiderent, inprimis in vanis ſuis triumphis, de quibus vid. iterum GROT. *L. III. c. XI.* ibique TESMAR. Quaſi ſat cauſa hic ſubeſſet ad MOREM ROMANORVM provocaſſe.

* 6. Huic formulæ nihil ineſſe, quod populi promittentis ſummum Imperium imminuat, exiſtimant PROCVLVS *L 7 §. 1. de capt. & poſtlim* GROT. *de I. B. P. L. 1. c. 3. §. 21.* PVFFEND. *L VIII. c. 9. §. 4.* HVBER. *de iur. civ. L. I. c. 3. Sect. 3 n 23* Communiter, huius formulæ interpres laudatur, CICERO *in Orat. pro L. Cornel. Balbo*, ubi ſequentia leguntur: *adiunctum* (nempe in fœdere Romanorum cum Gaditanis inito) *illud etiam eſt, quod non eſt in omnibus foederibus:* MAIESTATEM POPVLI ROMANI COMITER CONSERVANTO. *Id habet hanc vim, ut ſit ille in foedere inferior. Primum verbi* GENVS *hoc* CONSERVANDI, *quo magis in legibus, quam foederibus, uti ſolemus, Imperantis eſt, non precantis deinde cum alterius populi maieſtas conſervari iubetur, de altero ſiletur; certe ille populus*

præſcripta, quoscunque dein promiſcue atque pro lubitu, caſtigandi mulctandique opportunitatem nanciſcebantur. Alias ſi technæ artesque abſunt, ſi b. f. amici a potentiore populo parantur, ſocii cordate aſſumuntur, deditio contra in-iuſto bello victos, mortemquem ipſam promeritos, adhibetur, atque in omnibus ſalus publica & pax publica attenduntur, nihil

populus in ſuperiori conditione cauſaque ponitur, cuius maieſtas foederis ſanctione defenditur. Ex qua explicatione ſatis patet, quid monſtri Romani ſub hac formula aluerint, ſuam Maieſtatem vi formulæ pro conſervata, confœderati autem pro ſilentio omiſſa habebant. Et hæc interpretatio non doctrinalis, tantum, ſed uſualis & practica erat apud Romanos, ut vel ex ipſo PROCVL *c. l.* 7. §. 2. liquet, ubi de iis, qui ſub hac formula Romanis, ſe addixerant, ſi rei eſſent apud Romanos, in dictum habitum, & deinde in condemnatos animadverſum fuiſſe notat quod manifeſte ſummi Imperii imminutionem, ſpeciemque ſubiectionis arguit. Nec obſtat quod poſterior Proculi oratio de temporibus poſterioribus, prior autem de antiquioribus exponatur vid. PVFFEND. *d. ibique* BARBEYRAC. Nam ſufficit, quod formula aliquo tempore fuerit periculoſa fœderatis. Imo, ſi quis cogitet huius formulæ appendices, quæ tamen antiquo tempore annecti ſolebant exemplum *vid ap. LIV L. XXXVIII. c.* 2. non adeo ſollicitus erit, de Romanorum bonæ fide chronologia, an priſco, an recentiori tempore ſcilicet melior fuerit Cœterum quod ab hac formula infirmiori genti omnino cavendum ſit iam PVFFEND. *d. l.* & HVBERVS *L. III. Sect. IV. c.* 3. *§.* 9. obſervarunt Sane formula: *alterius maieſtatem comiter conſervare*, parum videtur differre ab alia formula, quam maligni patroni, manumiſſionibus ſuis ſæpius addebant, *ut ſi novus libertus patronum offenderet, petantur ab eo certa præſtanda.* Atqui, per hanc res arbitrio delicati patroni committebatur, utrum innocenti clientis facinori, offenſam ineſſe dicere, & quæ generali atque callido ſermone ſtipulatus erat, petere, an vero eadem remittere, metuique exactionis tantum trepidantem libertum ſubiicere vellet, id quod contra ius & fas Romanis libertatem manumiſſorum onerari recte videbatur. Quare igitur iidem Romani, qui privatim & in foro non tolerabant talem adiectionem a patrono factam, ſed ad TIT. *quar. rer. act. non dat.* referebant: in iure publico & doctrina de fœderibus aliter ſenſerunt, & quod ſingulis libertis præiudicio eſſe nolebant, verbis tantum immutatis in ſuorum ſociorum, adeoque integrarum gentium damnum, conventionum publicarum clauſulam, cautionemque quaſi honeſtam eſſe voluerunt, inſſeruntque?

hil vitii huic noſtro ſecundo remedio ineſſe videtur. Sed cum hodie vix tanta ſit unius populi potentia, *7. ut reliqui ad illius Maieſtatem colendam ſua ſponte ad eum confluant, aut plane omnia iura, divina, atque humana permittant, illique ſe dedant, conſequens eſt, quod, quamvis iuſtitia ſua remedio noſtro conſtet, a frequentia tamen uſus non adeo poſſit commendari.

§. VII. Succedit tertium pacis firmamentum: FOEDUS ſcilicet, ſi, propter impoſſibilitatem, non in univerſum, inter omnes, certe inter plures & tot gentes, quot fieri poteſt, initum atque percuſſum. Fœdera enim multi viam eſſe putant non tantum ad potentiam, & res magnas gerendas, ſed quoque ad negotia turbida componenda, valideque tranſigenda communis ſalutis pacisque cauſa. Siquidem coniunctos faſces difficillime frangi, vim quoque unitam fortiorem, ſecundum communem paræmiam eſſe, unionem autem per fœdera obtineri, cum fœdera de duobus pluribusve faciant unum. Pertinet huc conſilium Leoni X. datum de communi fœdere Chriſtia-

*7. Scilicet iure, vel planius: tacito quodam iuſſu decretoque Gentium, veluti definitus eſt ſummorum Imperiorum numerus, nec in Europa minimum, facile reliquæ Gentes conceſſuræ ſunt, ut plura regna, quocunque ſpecioſo prætextu, vel vinculo, ſub uno potentiori principe uniantur. Nam politicæ genuinæ exquiſitior notitia, olim Romanorum arcanum peculiare habita, nunc in commune docetur, & tantum non omnes ſciunt, quod non interſit, an amicorum, ſociorum, tributariorum, an apertiori magisque uſitato: civium, ſubditorumque numero adaugendo, hæc, vel illa civitas nimium ſtudeat, & præ aliis eminere allaboret. Ceſſat iam priſca rerum facies, quam MARO deſcribit, *Aeneid. 6.* quæ ſolis Romanis politicæ notitiam tribuebat:

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus
Orabunt cauſas melius; coelique meatus,
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent
Tu REGERE IMPERIO *populos* ROMANE *memento*
Hæ TIBI *erunt artes.*

ſtianorum contra Turcas *1. ineundo. Imo totum paſſagiorum inſtitutum, quod primum auctore Vrbano II. & inſtigatore Petro Eremita tantas populorum Chriſtianorum copias trans Pontum egit, atque Paleſtinæ immiſit, deinde vero diverſo ſub ſequentibus Imperatoribus, eventu ſuſceptum, tandem ſub Pontificatu *2. Nicolai V. fruſtra tentatum, iamdiu elangueſcere cœpit. Cœterum ad commune hoc Chriſtianorum contra Turcam faciendum fœdus, omnes Chriſtianos, non tantum conferre poſſe, ſed plane debere, nec ſecus agentes, niſi ſontica de cauſa gravique malo domi diſtentos, iuſte excuſari, a quibusdam docetur. *3.

§. VIII. Sed uti facile concedimus, quod illi a vero abeant, qui fœdera omnia diſſuadent *1. vel a confœderatis aliquando

---

*1. SIC WAREMVND. AB EHRENBERG, poſtquam fœdera Germanis cum una & altera gente diſſuaſit, tamen deinde *p. 232. L. I. de foeder.* addit; *doctrinam ſupra poſitam, ita limitamus, ut non negemus, interim contrahi debere foedus inter papam, Imperatorem & ordines Imperii, Hiſpanum, Gallum, Danum, Suecum, Angliæ Reginam, magnum Moſcoviæ ducem, & Regem Perſiæ, contra Turcam, id enim conſilium & prudentiſſimum & antiquiſſimum eſſe didicimus & ex* GVICIARD. *L XII. p. 349.* LEONI X. *datum legimus: ut videlicet omnes Chriſtiani principes, vel compoſitis, vel ſepoſitis omnibus controverſiis manus iungerent, pro profeſſione Chriſtiani nominis & defenſione ſalutis communis, etſi non ignorem, alios aliter ſentire, tamen ego exiſtimo, tali pacto facile Turcarum vires & potentiam brevi tempore frangi poſſe.*

*2. Cum ſub Friederico IV. Turcarum regnum latius propagaretur, finitimisque Europæ provinciis a iugo illius metuendum eſſet, Cæſar hic poſt coronationem Romæ peractam, Æneæ, Sylvio in mandatis dedit, ut Papæ & Cardinalibus congregatis coram cauſam Chriſtianorum commendaret, ut per omnium nationum convocationem, ſeu paſſagii indictionem, illorum rebus conſulerent, Turcarumque auſus ita ſuffluminarent *vid. Orat.* ÆNEÆ, SYLVII *p 164 ſeq Hiſtor. Frid. III.* GOBELIN. *p. 21.* BOECLER *de Paſſag.* Quamvis Friderici conſilium fuiſſe effectu deſtitutum, ſciamus.

*3. Affirmat hoc GROT. *L. II. c. 15. §. 12.* cui conſentit Scholiaſter ipſius TESMAR.

*1. Huc collimavit THOMAS MORVS *in ſua Vtopia p. 127.* quam eo fine, ut oſtenderet, ad quos mores compoſiti, & ad quem ſcopum attenti eſſe de-

quando circumventi, fœdera adeo religioſe colere * 2. rebus magnatum non conducere exiſtimant: ita negare non poſſumus, quod cum iſtis non ſentiamus, qui vel omnium Gentium impoſſibilem confœderationem, vel certe cum ingenti populorum numero coniunctionem, principibus commendant. Nam initio laxe admodum cohærere ſolent, quæcunque inter plures colligantur. *3. Deinde, quo plura regna in commune fœdus, magno labore coeunt, eo plura quoque ſingulis bella, ob tot regnorum defenſionem, communibus viribus ſuſcipiendam, enaſcuntur. Vt taceam, quod tot regnorum diverſiſſima ſtatus ratio, atque maxime varium intereſſe, facile

pariant

debeant, rectæ beatæque reipublicæ cives, finxiſſe, atque conſcripſiſſe videtur. *Vtopiæ*, inquit, *gentes id eſt prudentiores, foedera cum nulla gente feriunt, cum naturæ conſortium, foederis vice habeant & homines melius benevolentia, quam pactis, animo, quam verbis coniungi, neque eum, qui naturam negligat, curaturum verba putant.* Licet Morum facile excuſes, ſi cogites, quod in hoc ſermone, non de eo, cui in corruptæ humanæ naturæ, remedium ex neceſſitate, locus aliquando faciendus eſt, ſed de perfecto hominum ſtatu, qualis præcipue per regulas Chriſtianiſmi eſſe in idea debeat, deque illius conſectariis loquatur. Quorſum forte etiam reſpicit ſententia ISOCRATIS: quod *optimum foedus ſit recte facere.*

* 2. Fridericum ſapientem, Saxoniæ Electorem, dixiſſe ferunt: *bonum eſt, foedera inire, ſed væh illi qui ſervat.* Quod dictum tamen, ſi ſenſus eſt; *tam ab initio, circa electionem foederati, concipiendamque foederis formulam, quam in progreſſu circa culturam foederis, confoederato præcipue iam ad perfidiam inclinante, magna prudentia & præſtandorum ſuſpenſione opus eſſe*, nihil ſiniſtri complectitur. Omnino enim, princeps contra officium boni & egregii principis peccaret, qui v. c. arces & caſtra, quæ pro communi propriique populi ſalute, confœderato, quo commodius auxilium præſtare poſſet, vi fœderis ad tempus relinquere tenebatur, eadem eidem, haud obſcura animi mutati, periuriique ſigna præ ſe ferenti, in maximum propriorum civium damnum, aperiret. Vt proinde, in controverſia, quis prior promiſſa in fœdere præſtare debeat, ſæpe præſtet, alteri præcedentiam concedere, ut prius fidem datam exſolvat.

* 3. Potentia videtur quidem ex multis colligi, ſed confuſio, quæ eiusmodi collectionem ſequi ſolet, multorum potentiam frangit EHRENBERG *cit. tr. p. 1. p. 277.*

pariant diverſa conſilia, ſive diſſenſiones? Atqui vero diſſenſiones confœderatorum ipſis fœderibus finem facile accerſunt. Quare tantum abeſt, ut per magnum Gentium numerum diffuſæ pactiones, atque fœdera, ſingularum, vel plurium iunctim ſpectatarum pacem, & ſalutem concilient, ut potius perpetua maxima bella & colliſiones, tam, cum ſingularum gentium, quam, cum integræ illarum congregationis incommodo, coniunctas parturiant. Neque vero nominatim, per celebria quondam paſſagia, multum promota eſt res Chriſtianorum, nec hodie utile foret, Turcarum potentiam, aut inſolentiam, usque eo ſuccreſcere pati, donec contra illam per fœdus univerſorum Chriſtianorum, communi ſecuritati remedium adferretur. Sed laudanda eſt divina providentia, quæ Auguſtam domum Auſtriacam ad id faſtigii, & ad eam potentiam evexit, ut tot victoriis profligata Porta Ottomannica, ad huius ſolius fortiſſimos exercitus, ſtrenuosque duces conſpectos contremiſcat. Maneat itaque, fœderibus ſapienter initis ſua laus, ſua utilitas, ſed ita, ut perſiſtant reſpectu numeri ſe invicem coniungentium, intra iuſtum atque proficuum temperamentum.

§. IX. Placet aliquando quibusdam principibus, ſi bellum inter vicinos oritur, nullius inter collidentes partes amplecti, aut per vim tueri, ſed in medio inter easdem, ſubſiſtere quietos, & tantum ſuarum rerum ſatagentes, quamvis utrimque, tantum non attalicæ conditiones offerantur, ipſis in ſymmachiam bellique ſocietatem pertrahendis. Publico ſtylo neutralitatem, hoc inſtitutum vocare ſolent, ſed in gratiam eorum, qui quocunque minus latino verbulo prolato offenduntur: *Quietem in turbis*, vir quidam doctus dicere maluit. Videtur autem ei non exigua vis ineſſe, cum ad pacem propriis civibus ſervandam, tum quoque ad bellum inter ipſos concertantes citius finiendum, quod alias, ſi ab utraque parte plures auxiliatores acceſſiſſent, magis diuturnum, & cum plurium provinciarum devaſtatione, probabiliter coniunctum fuiſſet. Vnde quarto, inter pacis humani generis remedia loco, illud omnino locandum videtur. Enimvero, uti haud diffi-

culter

culter largimur, aliquando rationes adeſſe, quæ acceſſionem ad partes belligerantium diſſuadeant, neque vero ſine fructu, media conſilia, interdum gentem unam, vel alteram ſecutam eſſe, probent. Ita tamen a nobis impetrare non poſſumus, ut gentium ſaluti pacique, multum præſidii per neutralitatem adferri credamus. Nam hæc tota in otio & ceſſatione, ab actione, adeoque in nihil agendo conſiſtit, quis vero nihil agendo, præclare inter gentes de pace vel nutante tuenda, vel turbata reſtauranda, mereri poteſt? Sane otioſus incendii ſpectator, incendiarius quidem non eſt, ſuppreſſi tamen, vel extincti incendii gloriam ſibi quoque minime arrogare poteſt, ſed fato, vel aliorum induſtriæ debetur, quod non latius ſerpſerit flammæ furor. Raro quoque accidit, ut neutrales utriusque litigantium amicitiam conſervent, vel plane communia odia evitent. Hinc inde varia iniqua poſtulata cumulantur, quæ ſive audiantur, ſive negentur, neutrius partes amplexum in periculum adducunt. Cæterum, quid in ſolo pacati belligerantibus liceat, non convenit inter iuris N. & G. ſcriptores, GROTII doctrina eſt *1. quod, qui bello abſtinet utrisque tranſitum permittere, commeatum præbere debeat, & ſi quæ alia. Quæ omnia, quam cum magno onere ipſius abſtinentis coniuncta ſint, nemo non videt. Neque vero dubitandum eſt, quin duces utriusque exercitus, gregariique milites, in terra neutrali, ſeu pacata, longe craſſius adhuc ſint philoſophaturi, quam Grotius. Vltimum demum, quam candidiſſimi etiam eiusmodi abſtinentes ſe geſſerint, & quam minimum quoque alteri, præ altero faverint, illorum præmium eſt, quod vel ignavi, vel *2. callidi credantur. Vnde a nonnullis, ſi non ſatis facete & ſubtiliter, ſatis tamen vere & perſpicue, cum iis, qui medii cœnaculum inhabitant, *3. & ab inferioribus fumo ſuffocantur, a ſuperioribus autem perminguntur, comparantur.

*1. *L. III. c. 17. de I. B. & P.*

*2. BOECLER *diſſert. de Quiete in turbis p. 994. 995.*

*3. *vid.* WAREM. *ab* EHRENBERG *p. 267. ſeqq.* adde BOTERI *tract. della neutralita.*

§. X. Progrediamur ad novum remediorum genus. Sunt, qui quinto exiſtimant, paci præcipue conſuli, atque ſaluti gentium etiam in futurum proſpici, per pactiones, vel pacificationes multis egregiis ſolennitatibus & clauſulis munitas. Quare nonnulli eruditorum operæ prætium ſe facturos eſſe ſibi perſuaſerunt, ſi multa induſtria conventionum publicarum ſolemnia, & clauſulas eiusmodi, ſive firmamenta imaginaria, * 1. in unum opuſculum congererent, atque in uſus futuros annotarent. Quaſi vero humana in dies varia & mutabilis * 2. natura, quæ nequidem furca expelli & in ordinem redigi poteſt, ſolennium apparatu, vel clauſularum inaniis intra fidei ſemel datæ ſanctimoniam contineri queat. Mihi non ſine ratione nonnemo * 3. Suecorum ſapientiam quondam laudare viſus eſt, quod

* 1 Extat in hunc uſum docta & prolixa Diſſert. WALDNERI A FREVNDSTEIN, ſub titulo: *de firmamentis conventionum publicarum.* Item *diſſert.* G. SCHVBARDII: *de moribus gentium circa foedera.* Romani fœderum, pacis induciarumque ſanctitatem, interventu fecialium, ſacrificorum, religionis iurisiurandi &c. augeri putabant. Formulæ ſive clauſulæ erant: *audi Jupiter* item *Tu Jupiter illum ferito, ut ego hunc porcum.* item: *Qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.* Retinuerunt iusiurandum Chriſtiani addideruntque alia a ſuis ſacris deſumta v. c. uſum cœnæ dominicæ. Acceſſerunt quoque illorum pactionibus, duriſſimæ clauſularum formulæ, inter quas præcipue illa commemoranda eſt: *ut ſi contingeret alterutrum fidem ſemel datam fallere, ſubditi illius nihilominus placiti vinculo adhuc obſtringerentur, illisque ius foret domino ſuo fidem violanti impune non parendi, aut plane ad alterius caſtra accedendi* Ita Anno 1200. inter Joannem Angl. & Philippum Galliæ Reges conventum. Hac lege in pace Poſtante Polonorum cum Crucigeris transactum Anno 1437. Eadem conditio placuit Erico Suecorum, Vladislao Polonorum Regibus & Vitoudo Lithuaniæ M. duci. Nec mitius Carolus V. cum Philippo magnanimo in capitulatione Halenſi A. 1547. egit, quæ ſingula exempla collegit HERT. *diſſ. de Lytr. Sect.* 1. *§.* 5.

* 2. PVFEND. in *Suecorum hiſt.* hinc inde.

* 3. Narratur ſive fabula ſive hiſtoria, quod aliquando urbes deliberarint de perpetuo inter ſe fœdere pangendo. Quo vero hoc inſtitutum felicius ſuccederet & omnia maiori cum prudentia gererentur, decreviſſe urbes, ut futuro pacto conficiendo, non niſi ſenes præſto eſſent; contigiſſe tamen

quod tabulis pacis, ne forte Prætor aliquis ex mortuis reſurgens bonorum poſſeſſionem contra tabulas concederet, receſſum executionis ſuperaddere voluerint, atque regulariter pactis ſolennibus ſuis efficacius monimentum, quam, quod a papyro & atramento expectari poteſt, circumponendum iudicarint. Sane duæ * 4. clauſulæ tantummodo ſunt, quibus in pactionibus & pacificationibus fidendum, ſcilicet *ſi tabulæ*, *ita graviter concipi poſſunt*, *ut expertis hoſtibus potentiam nocendi auferant* vel *tam iucunde & ſuaviter*, *ut nil amplius a nocendi voluntate metuendum ſit*.

§. XI. Sexto nihil magis naturale videtur, quam, ut ſocietas & amicitia eadem ratione inter gentes & integras civitates, pro communi pacis & tranquillitatis, gentium bono, contrahatur, colatur atque rupta reſtauretur, qua vita ſocialis inter homines ſingulos propullulat, creſcit & contabeſcens recreatur. Atqui ad hunc ſcopum nullum remedium, magis conducere crederes, quam communicationem humani ſermonis. Sermo enim atque ſermocinatio, ſive colloquium, promptiſſimum illud inſtrumentum ſunt, quod homo habet non tantum ad proprios animi ſenſus expedite, atque ſine ambagibus patefaciendos, ſed quoque ad notandum atque indicandum, quid in alterius cogitationibus & ſententiis ſibi diſpliceat, aut probetur. Imo colloquio inter præſentes inſtituto aliquid candoris, pectorisque ſinceri aliquam ſpeciem, vel ea propter ineſſe putes, quod hic extemporalis oratio, atque ſine multa præmeditatione facienda reſponſio, omnes ſimulandi, diſſimulan-

men ut una ex illis iuvenem inberbem ad conventum ablegaret, ſenes autem frontem contraxiſſe, ad novi hominis conſpectum & ex illo, quæſiviſſe, quot nam annos vixiſſet, reſpondiſſe iuvenem ſine mora: *centum & ultra*, ſenes demonſtrationem petiiſſe impudenter dictorum, iuvenem ita computum inſtituiſſe; interfui, aiebat iam bis fœderum inter urbes conſcriptorum congreſſibus, utrumque foedus ad quinquaginta annos finitum fuit, cum itaque iam novo tertioque foedere opus ſit, conſequens eſt, centeſimum ætatis annum me iam ſuperaſſe. Placebat ſenibus juvenis ingenium, quod ſatis iucunde inconſtantiam fidei humanæ notabat.

* 4. vid. HUBER. *de Jur. civ. L. III. ſect. 4. c. 3. n. 27.*

mulandique artes ſeponere & excludere videatur, ut taceam, quod inter præſentes unius horulæ ſpatio, ſine ullis ſumtibus, aliquando plures difficultates, ſubortæque diſſentiones tolli componique queant, quam per magnum tractum temporis, litterarum commercio inſtituto, aut miſſorum internunciorum officio ad res gerendas adhibito, quidem effici vix poteſt. Vnde nihil magis ad pacem & communem Gentium commoditatem ſive proſperitatem ſartam tectam ſervandam, commendandum eſſe diceres, quam rectorum civitatum congreſſus & colloquia, coram inconventibus publicis crebro reiteranda. Profecto ipſum ius Gentium arbitrarium tot eruditorum ſcriptis celebratum, aliter initio condi non potuit, * 1. niſi gentes in unum locum ſe congregaſſent, & in certa capita iuris inter omnes obſervandi conveniſſent. Proinde obſervetur hic quæſo: mos antiquus & utilis & laudabilis.

§. XII. Sed quantacunque ſpecie nonnullis congreſſus plurium imperantium placere poſſint, non una tamen reperiuntur, quæ, vel ipſis plane ſperandis impedimento ſunt, vel haud obſcure demonſtrant, quod non adeo uberes fructus in commune gentium bonum ex iisdem liceat divinare. Nam quod prius attinet, initio certum eſt, quod vel omnium, vel plerorum-

---

* 1. Vetus litigium eſt, an detur ius Gentium voluntarium, quod gentes in unum congregatæ aliquando per liberam conventionem, atque communia ſuffragia conſtituiſſent. Tandem omnem difficultatem tollere, atque Gentium eiusmodi habita comitia ſatis intuto conſtituere videtur locus apud auctorem FLETAE *L. III. c. 6. §. 3.* ubi de alienatione bonorum coronæ agitur, additurque, *quod Rex eiusmodi alienationes revocare debeat ſecundum proviſionem omnium Regum Chriſtianorum, apud montem Peſſuloniam, anno regni Regis Eduardi filii Regis H. quarto habitam.* Sed SELDENVS *in comment. p. 549.* recte hunc FLETAE locum perinſignem & ſatis prodigioſum dicit, putatque libri FLETAE auctorem, carcere incluſum facile peregrinatione gallicana reducibus decipi potuiſſe, ut generale concilium Lugdunenſe circa iſta tempora e pluribus nationibus, occaſione controverſiarum clericalium congregatum, cum imaginario conventu de iure Gentium montis Peſſulani celebrato miſcuerit, & ita poſteris impoſuerit.

rorumque Europæ capitum conventum, nulla ætas viderit, nec viſura ſit unquam. Deinde quantæ quæſo molis non eſt, a principis unius vel alterius animi gravitate impetrare, ut ad colloquium ſive congreſſum, cum alio propendeat. Et ſi hoc, quis multo labore obtinuerit, quæ difficultas non ſupereſt, ut congreſſus locus definiatur, altero illum hic altero alibi obſtinate, tertio, ut apud ſe & in ſuo regno partes conveniant, poſtulante. Plane ſi & hæc quæſtio ſoluta, quæ non de modo de præcedentia & reliquo ceremoniarum apparatu, oriuntur diſceptationes, quot non nuncii huius litigii finiendi gratia mittuntur & remittuntur. Porro, (ut ad ſecundum deveniamus) ſi & hæ altercationes ſublatæ, vel in ſpeciem conciliatæ, quæ deinde non exſurgunt æmulationes, diffidia? quibus ſat nutrimenti cum ipſi delicatuli principum animi, tum comitum & adminiſtrorum ſtudia, ſubinde afferunt, atque ſuppeditant. Quam facile non quisque colloquentium aliquid, vel in ſui contemtum trahit, vel certe cum detractione venerationis ſibi debitæ, coniunctum eſſe opinatur. Quanto cum tædio non repeti ſolet, quod vel alter colloquentium iniqua expoſcat, vel æqua audire, vel res in congreſſu ſub roſa geſtas, non ſatis provido ſilentio cuſtodire, nec ſepulchro religioſe ſervare velit. Tandem, ſi congreſſus, quod tamen, haud raro contingit, non in medio colloquiorum abrumpitur, ſed quibusdam negotiis compoſitis, pluribus in aliud tempus ſepoſitis, iam ad finem & diſceſſum ſpectat, quæ diſſenſiones circa formulam receſſus, ut loquimur conſcribendam, non naſcuntur, aut vana, quis prior, quis poſterior, & qua honoris pompa dimitti debeat, aut comitari, litigia. Quibus omnibus penſiculate conſideratis, & probe expenſis, nemo non videt, tantos congreſſus, quantos omnium, vel plerarumque Europæ Gentium pax & tranquillitas requirunt, ne dari quidem, reliquos autem non niſi cum magna difficultate, fructu, ſi regulam ſpectes, revera ſubinde exiguo, ſucceſſu & eventu dubio atque incerto, expectari poſſe. *1. Vnde non eſt, quod quis nobis obii-

*1. Sentit nobiscum PHILIPPVS COMINÆVS *L. III. hiſtor. Ludov. XI.* cuius argumenta per ſaturam recenſet BOECLER *§. 24. de congreſſ. princ.*

obiiciat, aliquando ſecus accidiſſe, regumque amicorum mutuam præſentiam, habitumque ſemel candidum & ſincerum colloquium, plus commodi bonique peperiſſe, * 2. quam aliquoties reiteratæ legationes. Nam quis neſcit amicitiam candorem, & ſinceritatem magnatum ad exceptionem pertinere, atque aliquid eximii indicare in iis, in quibus deprehenduntur.

§. XIII. Magnatum controverſiæ etiam tolli, adeoque gentium pax & quies, vel ſervari, vel reſtitui poteſt, ſi bellum gerentes, aut geſturi, vel in arbitrum compromittant, vel diſſidia ſua ſorti committant. * 1. Vt proinde arbitrium ad compromiſſum interpoſitum, ſortisque alea, ſeptimum, atque octavum remedium ſat bene conſtituere videantur. Sed utrique duo obiici poſſunt, ſcilicet, quod (1) neutri locus ſit, ſi pars alterutra arbitrium accipere nolit, vel ſortis periculum ſubire detrectet, (2) quod tam arbiter, quam ſors contra refractarium, qui laudo, vel ſortis deciſo acquieſcere, ipſique iniuncta præſtare recuſet, fruſtra adhibeantur, niſi in hac ultima ſpecie arbitri potentia tanta ſit, ut viribus illius, qui ſententiam pro ſe impetravit, ſocietate bellica inita, adiuncta, refractario formidini eſſe, illumque iudicatum ſolvere, cogere queat. Qua in ſpecie tamen, cum & citra arbitrium interpoſitum,

---

* 2. Atque in hunc ſenſum capio, quæ BOECLER § 25. COMINÆO reponit: *Non ſunt tamen nullæ in contrarium rationes & exempla, inquit, magnorum principum congreſſus* (particulares ſcilicet, & non adeo multorum) *& colloquia felices, aliquando* (per modum exceptionis a reg.) *habuiſſe exitus. Nimirum multa prorſus eſt huius negotii varietas, in temporibus, in perſonis, cauſis apertis & occultis, quæ firmas* (univerſales puta & mathematicas) *regulas dari non patitur. Optima prudentiæ pars eſt, quæ monet colloquia huius generis, neque ſuaderi, neque ſuſcipi oportere, niſi proviſis, deliberatisque rationibus, quibus pericula declinentur, & ſucceſſus promoveantur. Multa enim, quæ impedita ſunt, expediuntur conſilio & arte, interdum & neceſſitas eſt ante rationem. Nonnunquam altior Heroici ſpiritus indoles feliciter pervadit, in quibus inferior indoles obhæreſcit.*

* 1. Exempla bellorum per arbitrium compoſitorum, ex hiſtoricis variis indicat TESMAR. *ad §. 46. L. III. c. XX.* GROT. De ſorte *vid.* PVFEND. *L. III. c. 2. § 5. &* GROT. *L. II. c. 23. §. 9.*

tum, arbitro, cauſæ illius, quem iuſte bellum gerere credit, accedere, & ut ſuum conſequatur auxilium præſtare liceat, arbitrii non adeo magna utilitas eſt. Imo quamvis demus, arbitrorum eſſe maximum uſum, cum recte illorum lauda ſemel rite pronuntiata, parere nolenti, aliarum Gentium mediarum odium concilient, eiusque iniuſtitiam, ut plurimum evidenter demonſtrent, attamen ſemper reſtat obiectio prima contra arbitria, quod ſcilicet ſæpius pars alterutra, in arbitrium, ſtatim initio compromittere nolit. *2.

§. XIV. Affinitatem cum ſorte habet, condictum certamen ſingulare, cui olim cauſarum, tam privatarum, quam publicarum deciſio, ſæpius commiſſa eſt. Vt non incommode, nonum mediorum pacis locum occupare poſſe videatur. Sane non fuit, olim ulla Europæ Gens, quæ non in dubiis cum iuris, tum in facti quæſtionibus, frequenter ad hoc certamen provocarit, ut Græcorum, Romanorum, Gallorum, Hiſpanorum, Anglorum, Suecorum, Danorum, Vngarorum, Polonorum & Germanorum exemplis, abunde probatum eſt ab eruditis. *1. Imo eo usque antiquitus, horum certaminum, quæ, ut

 pluri-

* 2. Accedit hodie in variis rebuspubl. & hæc obſervatio politica, multis probata, quod respublica, ut corpus morale ſæpius variis civibus, inquietis & turbulentis, non aliter efferveſcat & agitetur, quam corpora animalium naturalia pravis humoribus, vitioſoque & ebullienti ſanguine ſtimulari, atque fermentari ſolet, ut proinde bella, ibique ſecutæ cædes, factioſorumque ſtrages, in quandam venæ ſectionis ſpeciem adhibere expediat.

* 1. Catervatim hic prodeunt ſcriptores, GREGORIVS, CARAFFA, BONAVENTVRA, GANER, ALCIATVS, EBELINGIVS, MAVRITIVS, VISCHER, GERHARDVS &c. qui omnes de duellis ſcripſerunt. Nominatim laudanda eſt Diſſert. ZENTARAVII, *de duellis principum Argentorat. habit.* Reges Græciæ duello congreſſos nominat GROT. *L. II. c. XXIII.* §. 10 *v. c. Hyperochum Archivorum, Degmenum Ænianum regem &c.* Apud Romanos occurrit famoſum *Horatiorum & Curatiorum* tergeminorum hinc inde fratrum certamen, de quo FLOR. *l. c. III.* ſingularem ad pugnam Metium, Tullus hac oratione provocavit: *ineamus aliquam viam, qua uter, utrique imperet, ſine magna clade ſine multo ſanguine, utriusque populi decerni poſſit*

plurimum duella appellari conſueverunt, amor progreſſus eſt, ut plane aliquid divinum iis ineſſe, atque de cauſis ambiguis per duella, tanquam divino iudicio tranſigi, hominibus perſuaſum eſſet. Vnde apud Germanos olim duella, certis legibus circumſcribi & ad inſtar iudiciorum, ad certam, atque legitimam formam redigi cœperunt. Neque vero aliquid barbari, aut iniuſti in hoc litigandi genere animadverti credebatur. Melius enim eſſe, ut unus homo ſaucius caderet, quam, ut totus populus periret, ſecundum Philoſophiam Archiſacerdotis iudæorum, defendebatur. Quæ ratio ipſi quoque GROTIO probata eſt, cuius hæc ſunt: *Sortis autem affine quid eſt certamen ſingulare, cuius uſus non videtur omnino repudiandus, ſi duo, quorum controverſiæ alioquin totos populos graviſſimis ma'is ſint implicituræ, inter ſe parati ſint armis decernere.* Aſt hodie aliis moribus vivitur *2 Primo infra regiam dignitatem eſſe creditur,

---

poſſit GROT. *d. l. plura habet* B. D. GERHARD. *dicta Diſſert. cap.* 2. Sic in Anglia de Regno controverſia duello commiſſa quondam, inter Edmundum & Canutum, utriusque copiis iam armatis adſtantibus & proelium ambientibus, rem ita refert, *du* CHESNE *p. 409. Hiſtor. Angl. Le ſigne ſe donna, les Rois concurrent l'un contre l' autre, & vindrent incontinent aux mains. Edmond lequel êtoit genereux, & grand de corps, oppoſa ſon bouclier à l' ennemy, qui vouloit frapper de taille & repouſſa ſon êpée, avec un grand ſon. Aucontraire, Canut aiant reculé tant ſoit peu, dela force du coup, ſ'avanca derechef ſur Edmund. Alors ils chamaillerent longement & rudement entre eux, & ſe porterent diverſes coups drus & menus: Mais enfin comme le Danois vid, que l' eſpoir de la victoire lui echapoit, il cria ſi hautement qu' il peut à ſon ennemy: & quelle neceſſité nous preſſe: O vaillant & belliqueux prince, de recher cher ainſi la mort pour la poſſeſſion du Royaumé. Il vaut certes beaucoup mieux mettant les armes bas & de pouillant toute haine & inimitié, faire une bonne & ferme paix entre nous. Vſés Vous comme il vous plaira, de Canut, il eſt tout vôtre & pret de vous teſmoigner ſon affection par toutes ſortes de devoirs.* Ceſſit generoſitas Edmundi Angli, Dani precibus ipſumque in amicum & regni ſocium recepit, non ſine utriusque exercitus approbatione.

2.] Vnde caremus quæſt. quam ALCIATVS *d. tr. c. 34* proponit, an ſcilicet Rex ad duellum poſſit provocare Imperatorem, quam deinde in ſolutione affirmat, nulla alia ratione, quam, quod ita plerique ſentiant, ſuffultus:

tur, ſine oſtentatione virium Regni, ſine ſplendido belli publici apparatu, ferocium civium more, regem, in regem furibundum, quaſi ruere, perſonam regiam, ſanctitate, atque eminentia, quam coronæ geſtatio regibus, merito apud alios homines omnes tribuit, poſthabitis, aut plane proculcatis, mutuis ictibus, plagis vulneribus, percuſſionibus, & ſi quæ alia ira inter arma invicem ſtricta miniſtrat, non ſine duello adſtantis turbæ contemtu & vilipendio, exponere velle. Secundo inter Reges, ſæpe de integris provinciis, de utriusque regni ſalute, vel de rerum ſumma litigatur, ut tam magnas, atque arduas cauſas periculoſo & momentaneo duello relinquere, animi levitatem, & rerum pretioſiſſimarum inconſultam prodigalitatem continere videatur. Tertio ambitio quoque ipſos cives, præcipue milites, a gregariis ad ſummos duces usque, adeo cepit, ut ipſi apparere, robur & fortitudinem hoſti oſtendere, ac civitatis ſuæ cauſam, in bello fortuna tentata, inſignibus proeliis glorioſe tueri, quam reges ſuos gladiatorum more in arenam deſcendere videre, malint. Ergo & de duellis ſummorum principum, idem quod de variis Romani iuris capitibus dicendum eſt, ſcilicet: *hic titulus hodie non eſt in uſu.*

§. XV. Sed aliter longe cenſendum eſt de conciliatoribus pacis, quos mediatores dicimus, horum enim bonis officiis inſigniter pax & gentium ſecuritas promoveri aliquando poſſunt. Conſiſtit autem mediatorum officium in eo, ut iras & odia principum, ne ad vim & plane ad periculoſa arma deſcendatur, aut ſi iam eo deventum, ut vis hoſtilis ocius citius iterum ſiſtatur, temperent, atque emolliant. Vel vanitate cauſarum *1. odii, una cum bellorum moleſtia, perſpicue, placide

 cide

*1 Scilicet, ne quidem gravi de cauſa bellum gerendum eſt, ne belli aſperior eventus auctori ſuo longe gravior ſit aliquando, omni belli cauſa, quam moleſtam quoque delicatus, & rerum paulisper adverſarum impatiens animus, eandem ante bellum ſibi repræſentaſſet. Vnde multo magis ob levem, atque exiguam cauſam a bello abſtinendum eſt, tanquam a periculoſiſſima medicina, quam ſæpe cum ſpe & gaudio magnates adhibere incipiunt, ſed aliquantisper adhibitam intra metum & anxie-

cide tamen, ſimul oſtenſa, vel ſi alicuius momenti diffidii rationes adeſſe videant, monſtratis mediis poſſibilibus & æquitatis *2. ſpeciem reſpectu utriusque partis præ ſe ferentibus, viam diffidentibus, difficultates utrinque paci & conciliationi obſtantes exſuperandi, aperiendo. Deinde ipſorum quoque eſt, ut nominis mediatorum memores, utriusque partis cauſam, æque *3. curæ cordique habeant, inſimul tamen ab obiurga-

anxietatem iterum nauſeant, atque ſeponunt. Mediatorum itaque pacis eſt vivide, atque libere, non tamen acerbe, bellantibus, vel bellaturis, hæc talia ante oculos ſiſtere, & coram quaſi exhibere. Quæ monita tanto facilius, tantóque felicius in animos perſuadendorum deſcendent, quanto accuratius, maiorique cum religione, ab ipſis monitoribus, ſecundum eadem, hactenus circa bella, omnia in exemplum geſta ſunt, atque actitata. Tunc enim proficimus, ſi quod alios monemus, ipſi facimus.

*2. Impoſſibilia enim conſilia, quam pulchre etiam ſplendeant, belligerantes ſequi nequeunt, iniqua vero ſequi nolunt. Vtrumque mediatorum ſcopum ſufflaminat, & operam conciliatricem non tantum remoratur, ſed plane perdit, eluditque. Commendatam igitur merito ſibi habere debent, poſſibilitatem exitusque facilitatem, nec non quoad eius fieri poteſt, utrinque poſtulandorum æquitatem, in omni ſuaſoria oratione. Nam principes circa reconciliationem, & ubi de mutuis conceſſionibus, vel remiſſionibus quæſtio eſt, per ſe ſatis iam propendent, ad impoſſibilitatem, difficultates, atque cerebrinas iniquitates ſibi fingendas, ut hic minime gentium nomenclatore, aut monitore opus ſit, qui talia eis in memoriam revocet.

*3. Mediatores enim communi, utriusque partis conſenſu, ut honeſtiſſimi pacis proxenetæ eliguntur. Ad quos non ſpectat, ut parum religioſorum cauſidicorum, pretioque iniquitatis conductorum advocatorum more, unice clientis ſui commodum, iure & iniuria, cum alterius partis incommodo adaugere ſtudeant. Interim ſecundum PVFFEND. *L. V. c. 13. §. 7.* ſi quando initio ſe principibus bello implicitis, vel mox implicandis, alii principes ſe offerunt, intermediamque operam pollicentur, non ex eo ſolo capite plane penitus reiiciendi ſunt, quod forte cum altera parte, peculiaris quædam coniunctio intercedere videatur. Partim, quod a mediationem admittentium poteſtate dependeat, quantum ab iſtis conſulta, atque propoſita negligere, aut audire velint, partim forte ex ea ratione, nedum rariſſime peculiares ad alteram partem, reſpe-

iurgationibus & minis *4. ſibi temperent, nec tanquam pro tribunali ſedentes decretoriam ſententiam dictitent, ne mediationis limites excedant, & perſonam mediatoris cum perſona arbitri *5. commiſceant, & confundant. Imo inſuper ſibi cavere debent, ne proprio quæſtui inhærendo, magis *6. ſuum quam communium amicorum negotium gerere videantur. Ceterum utroque cum divino, tum naturali Gentium iure, mediatorum opera facile probatur, magnamque laudem omnino præcipue inter Chriſtianos merentur, qui publicarum inimicitiarum ſcintillas, vel in favilla ſuffocare, vel ſi in flammam, atque incendium iam eruperint; mature extinguere ſtudent. Beati enim ſunt pacifici non fallaci hominum tantum iudicio, ſed ex certiſſima decretoria divini magiſtri noſtri ſententia. Vnde quoque ſua ſponte fluit, quod principes Chriſtianorum, tam ante arrepta arma, quam per vim concertatione, iam exorta, ſuaſorias pacis conditiones mediatorum audire, nec, ſi

 faſtus

reſpectus plane ceſſant, omnino deſint, qui conciliatorum vice fungantur. Sed uti plura in tritura forenſi iudicis arbitrio relinquuntur, ita & huius quæſtionis iuſta æſtimatio, æquo atque neceſſitatum ſuæ reipublicæ gnaro principis cuiuslibet arbitrio, caſu eveniente relinquenda eſt.

* 4. Non tantum principem aliorum bellis pacis cauſa intervenientem, minas adhiberi, ſed aliquando vim plane in ſubſidium, contra nimium abhorrentes a pace recte vocari poſſe, in ſequentibus docebo, ſed id ex eo iure derivandum eſt, quod mediatorum officii cancellos longe excedit.

* 5. Non tantum in politicorum ſcholis mediator ab arbitro ſecernitur, ſed & in aulis ipſoque ſanctioris conſilii conſeſſu ipſorum Regum iuſſu accurate diſtinctio hæc obſervatur. Sic Henricus IV. Gallor. Rex in litteris ad Rosnium ſcribit: *le Roi d' Angleterre a declaré a mon Ambaſſadeur & m' a fait dire ici par le ſien, offrant de moyenner un accord entre moi & le Roi d' Eſpagne ſur le fait du commerce, de quoi j' ai eſtimê ne le devoir eſconduire, tant par ceque c' eſt choſe, que je dois deſirer, & qui ſeroit utile a mes ſujects, que pour ne lui donner ſuject de croire, que je n' aye agreablement ſon entremiſe non par forme* D' ARBITRAGE *mais ſeulement* DE MEDIATION *vid. Memoires de* SVLLY *tom. IV. p. 58.*

* 6. MAGIS dicimus. Nam, ut omne proprii lucri propriæque civitatis commodorum amorem princeps mediator exuat, id nec ſanior morum diſciplina, nec vera politica ipſi præcipit, nec ab eo prudenter expectari poteſt.

faſtus & animus contemtor abſit, facile reiicere debeant, tam egregie oblatum communis humanitatis officium. Quamvis hæc obligatio non undique adeo ad regulas iuſti pertineat, ut civitatum rectoribus omne ius, quod illis ex ipſa indole, atque interna, veluti civitatum ſtructura, competit, ut nempe ipſi de ſalute ſuorum civium ſtatuant, tollat. Nec enim definitio boni publici, alicuius reipublicæ regulariter æque, aut plane magis a vicinorum, quam ſui principis iudicio, ſine ſumma rerum confuſione dependere poteſt. Cæterum, uti ſi futuræ pacis conciliatores, non alia ratione, quam, quæ hactenus deſcripta eſt, circa muneris ſui executionem verſant, mediationis ſtudium, inter primaria bellorum temperamenta, pacisque remedia, merito referri poteſt: ita tamen, quæ non raro eſſe ſolent, vel ipſorum diſſidentium pertinacia ſtudia, vel aliorum ex ſua, ut putant, ſtatus ratione provenientia, aut obtruſa, perverſa, bellicoſa conſilia, ſæpe contingit, ut omnis laudabiliter, atque concatenata opera ſuſceptus pacificus labor, triſte perdatur exemplo, ut relicta mere ſuaſoria conciliatrice induſtria, ad validius, atque efficacius pacis publicæ tuendæ medium, quod iam in rubro diſſertationis indicavi, recurrere, non tantum opus, ſed plane neceſſum ſit, ut ſuo loco plenius.*7.

CAP. II.

DE SPLENDIDO REMEDIO PACIS, GENTIVM SCILICET VNIONE, QVONDAM A REGE GALLORVM HENRICO IV. PRIMIS LINEIS ADVMBRATA, DEINDE AB ABBATE S. PETRI LVCVLENTIVS DEPICTA, ATQVE EXPRESSA.

SVMMARIA.

§. I. *Quare probabiliter Henricus rex inciderit in unionem.*
§. II. *Henrici laus & decem vota iuvenilia, quæ recenſentur.*
§. III. *Henrici de ſua Vnionis invento opinio, ut & aſſentatio Sullii erga regem ſuum, cum epicriſi.*
§ IV. *De communicatione conſilii Vnionis cum* ELISABETHA *Anglorum regina. Item de quibusdam unionis præſuppoſitis ex mente Henrici.* §. V.

* 7. Eo ſcilicet capite, ubi de arbitrio æquilibrii ſuſcipienda eſt tractatio.

§ V. *De legatione ad* IACOBVM *regem poſt fata Eliſabethæ, aliisque cum aliorum legatis de unione tra ſtatibus, una cum horum ad Henrici quæſita reſponſis.*
§. VI. *De Pontificis, circa unionem, per colloquium Sullii cum Cardinali Buffalo, tentatis conſiliis.*
§. VII. *De cautionibus circa alliciendos futuræ unionis, ſocios obſervandis, & cur a rebus publicis incipiendum. Item, quæ ſpes ſingulis oſtentanda.*
§. VIII. *De maginationibus contra Auſtriacos, ut ad acceptandam unionem cogerentur.*
§. IX. *De mediis futuram unionem conſervandi, ubi de futuris communibus collegiis huius magnæ ſocietatis.*
§ X. *De iudicio Gallorum, mortuo Henrico, de unione, cum monitis noſtris de unione Henriciana.*
§. XI. *Continuatio difficultatum contra unionem perficiendam.*
§. XII. *Oſtenſio difficultatum oriundarum poſt unionem perfectam.*
§ XIII *De unione Abbatis Sti Petri.*
§. XIV. *De exemplis, quibus Abbas ſuam unionem illuſtrari putat.*
§. XV. *De differentiis unionis Henricianæ & Abbatis.*
§. XVI. *De difficultatibus unionis Abbatis & incongrua imperii Germanici in exemplum allegatione.*
§ XVII. *De præiudiciis iniquis Abbatis, in domum Auſtriacam & Germanos.*

§. I.

Diſcordia bella conſtant, pax concordia. Tempore belli ſocietas humana in tot partes ſciſſa eſt, quot gentes proeliis inter ſe concertant, atque digladiantur. Tempore pacis autem ſunt eædem gentes, non quidem perfecte, nec enim perfecta admittit hominum conditio imperfecta, in unum corpus congregatæ unitæque. Itaque cum optimum in mundo, pax ſit hinc veteres dixere: tanto quælibet res in mundo perfectior eſt, quanto magis accedit ad unitatem. Quod accommodatius ad noſtrum ſcopum efferemus: *tanto proprius abſunt gentes a perfectione, quanto propius abſunt ab unione.* Ipſa ſacra oracula, ſi quando primorum Chriſtianorum felicem, beatumque ſtatum nobis ſiſtere volunt, rem paucis complectuntur: *erat ipſis cor* VNVM *& anima* VNA. Vnde conſeques eſt, quod tollendis bellorum calamitatibus, reſtaurandisque pacis commodis, nihil magis aptum, atque ad tam ſalubrem ſcopum magis accommodatum, quam gentium rationes in unum redactæ, conſilia uni concilio commiſſa, arbitrium uni ſenatui

ſenatui relictum, optandum videatur. Valde itaque manca & mutila poſſet haberi præcedens de pacis remediis ſuſcepta tractatio, niſi in quali, quali hoc meo ſcripto, quædam de unione dicerentur. Neque vero indigne locabimus operam, cum præeuntes viros illuſtres, rerumque adminiſtros, imo reges ſummos, & quod toti operi præter prudentiæ politicæ, ſeculum aliquando nimium olentis, opinionem, inſimul laudem ſanctitatis conciliare poteſt, homines clericos, & plane religioſorum ſuperiores *1. habeamus. Ordinem ſecuti incipiam a Regibus. Inter hos præcipue de unione inter gentes chriſtianas ſerio cogitavit Henricus IV. Gallorum Rex, magni cognomine apud ſcriptores inſignitus. Quæ enim de aliis *2. principibus in hunc ſenſum referuntur, ad certa quædam temporaria fœdera pertinent, ſcopum autem perpetuæ unionis non attingunt.

§. II.

*1. Poſt Regem Henricum IV. eiusque adminiſtros, inprimis Robnium ſive Sullium, unionis opus, eiusque neceſſitatem & utilitatem approbavit GROTIVS, unde in hunc uſum commune iudicium, ſenatumque communem inter Chriſtianos conſtituendum eſſe putavit *L. II. c. XV. §. 12. & c. XXIII. §. 8. ibid.* Ante paucos annos autem longe maiori ſtudio, atque induſtria eandem telam retexendam, magisque perficiendam ſibi reſumſit ABBAS STI PETRI *dans ſes memoires pour rendre la pais perpetuelle en Europe* A. DCCXII.

*2. Sic ſub Pio II. omnes Chriſtiani principes ad concilium Mantuæ habendum invitati ſunt, ut ibi de viribus, copiisque ſuis, ad Turcam debellandum uniendis communi agitarent conſilia. Caput exercitus huius unionis conſtituebatur Fridericus III. ſed nec copiæ auxiliares miſſæ ſunt, nec exercitus communis collectus, aut contra Turcam eductus eſt, verum hæc temporariæ unionis conſilia, omnia effectu caruerunt *vid.* GOBELLIN. *L. III. §. 61. ſeqq.* Maximilianum I. ſimiles contra Turcam confœderationes animo, præcipue in comitiis Coloniæ & Treviri A. MDXII. congregatis, volviſſe, ſed morte præventum, ad finem perducere non potuiſſe, quibusdam obſervatum eſt. Conventum eiusdem Maximiliani I. & trium regum Poloniæ, Hungariæ, atque Bohemiæ, Poſonii anno MDXV. eodem fine, ut de communi fœdere contra Turcam conſultaretur, habitum, peculiari diario conſcripto, recenſet CVSPINIANVS *tom. II. apud* FREHER.

§. II. Henricus IV. excelſi *1. utique ingenii princeps continuis laboribus aſſuetus, ſummaque ambitione ad res arduas, magnosque auſus, ubique actus & excitatus, plura

omni-

*1. Geſta Henr. IV. deſcribunt THVAN. *tom. V. per tot.* Collectores memorialium Ducis Sullii chartis uſi, HARDOVIN. DE PEREFIXE &c. Laudantur in eo generoſitas, quod facile inimicis pepercisset & ignoviſſet, nullo quippe crudeli ultionis genere delectatus. Nec in hanc rem exempla deſunt. Sic ſatis benignis conditionibus cum Bullionio crebrius res novas hinc inde contra ipſum molito, tranſigebat. Nec permittebat, ut Joannes Inſulanus, qui ex improviſo eum e ſenatu redeuntem apprehenderat & vi tractum in equum reſupinaverat, a pediſſequarum concurrentium grege, ſine cauſæ cognitione occideretur *p. 1189. tom. V. apud* THVAN. PEREFIXE *p. 419.* Nec, ut ex voto ipſius ultimo percepimus, cum Epernonio, aut Tremollio ſecundum rigorem, licet ſui arbitrii, aliquando res foret, duriter agere cupiebat, ſunt quoque, huius loci, quæ Comes de BRIENNE habet *p. 12 Meſſieurs de la Force & d'Aubigny étoient couchés enſamble pres du lit de S. M. Mr. d'Aubigny, qui croyoit le Roi endormi, ſe mit a plaindre de l'ingratitude du Roy, diſant a diverſes repriſes a Mr. de la Force, qui ſommeilloit notre maitre eſt le plus vilain & le plus ingrat, qui ſoit ſur la face de la terre. A quoi l'aûtre accablé de ſommeil, ne proferant, que ces paroles: que dis tu Aubigny? Le Roi qui ne dormoit pas & ecoutoit ce dialoque lui cria tout haut: La Force ecoutés ſi tu veus, n'entens tu pas, ce qui dit d'Au bigny, que ie ſois le plus vilain & le plus ingrat du monde. Cepandant il n'enparla iamais dans la ſuite ni a'un ni a l'aûtre.* Sapientiam eius admiratus eſt Papa, qui dignum Henricum putabat, ut cum Eliſabetha Anglicæ Regina imperium orbis moderaretur. Fidem ſtudiumque pacis Henrici, exinde quidam colligunt, quod ſæpius repetiiſſet hæc verba: *que quand il eut pû rendre la maiſon de France auſſi puiſſante en Europe qu' eſt celle des Ottomans en Aſie & conquerir en un moment tous les états de ſes voiſins, il ne l'auroit pas voulû faire au deshonneur de ſa parole, obligé a l'entretien de la paix* PEREFIXE *p. 392.* His addunt pacificum illud coniungendorum Chriſtianorum in unam rempublicam, ſyſtema, quod meditabatur Lucri cupiditatem mentem ipſius non infeciſſe, vel ex eo apparere contendunt, quod ſyſtema ſuum aliis regibus præcipue ex illo capite commendaſſet, quaſi unice ob aliorum commoda inventum *vid. memoir. de* SVLLY *tom. III. IV. V.* Fortitudinem animumque principis intrepidum tot bella ob ea victorioſe confecta loqui

viden-

omnino & quidem iam a primo celebrato infeliciter hymenæo in votis habebat, quæ ſub fide ſilentii marquiſio Rhonio, intimioris admiſſionis miniſtro, ſecreto quodam in colloquio ape-

videntur. Nec illud prætereundum, quod THVANVS *princ. tom V.* memorat, proceres regni ideo Henricum throno admoviſſe, quod perfecta ipſius æquitas, nihil ſiniſtri ſuſpicari ſineret. Aliud elogium *vid. p.557.* Propius tamen ad adulationem accedunt elogia: *qu' il a été le pere des vertus, qu' il a été le meilleur & le plus vertueux, & moins malin, & vicieux de tous les Rois, qui ont iamais été, aimé de Dieu & des hommes ſages & vertueux vid: Lettre preliminaire du tom. V. de* SVLLY. Viciſſim tamen vitio ipſi datur, quod ſexum ſequiorem, aliquando abiecte plane, aliquando nimis ſumtuoſè affectatus fuiſſet, ingenue PEREFIXE *p. 461. Mais cette fragilité continuelle, qu' il avoit pour les belles femmes, étoit bien plus blamable, dans un prince Chreſtien dans un homme de ſon age, qui étoit marié, a qui Dieu avoit fait tant de graces, & qui rouloit tant de grandes entrepriſes dans ſon esprit.* Et deinde: *quand il recontroit des beautes, qui le touchoient au cœur, il aimoit jusq' a la folie, & dans ces transports il ne paroiſſoit rien moins, que Henry le Grand.* Item: *il ſe traveſtit un jour en paiſan, & chargea un fardeau de paille ſur ſon cou, pour pouvoir aborder Madame Gabrielle & l' on dit, que la Marquiſe de Vernevil l' a vû plus d' une fois a ſes pieds eſſayer ſes dedains & ſes iniures.* Quid de religione eius dicamus? reſpondet Comes de BRIENNE *p. 15. memorial. pour la Religion il a été taxé par toute l' Europe de trop de legereté. Il fut Catholique Romain a ſa naiſſance, mais la Reine Jeanne de Navarre l' ayant fait elever ſecretement dans les maximes de la Religion proteſtante. Il en fit profeſſion ouverte a la Rochelle. A la Barthelemy, pour eviter la mort il fut contraint de changer, mais ce ne fût, qu' en apparence, deux ans apres il ſe ſauva de la cour & étant arrivé a Alencon, il y fit encore abiuration de la religion P. R. iusqu' a ſon avenement a la couronne, il avoit coutume de dire: Ventre ſaint gris, la Couronne de France vaut bien une meſſe. Et comme ſon coeur n' étoit pas d' accord avec ſabouche & ſon exterieur, quand il voyoit les autres ſuivre ſon exemple, il leur diſoit ordinairement, pourquoi ne perſeverés vous pas? il n' y a point de couronne a gagner pour vous.* Porro ingrati animi vitium his verſiculis, regis imagini ſibi donatæ adſcriptis notavit ALBINIVS:

Ce prince eſt d' etrange nature,
Je ne ſai qui diable l' a fait;
Puis qu' il recompence en peinture
Ceux qui le ſervent en effect.

Nec

aperiebat. Scilicet decem *2. præcipue ſuorum deſideriorum capita, iamdiu fuiſſe aiebat, quæ, ut feliciter ſuccederent, atque ſpei rerum eventus reſponderet, indefeſſis arduisque precibus a ſummo Numine ſæpiſſime contendiſſet. Primo, ut ipſum Numen, ei per omnem vitam ſuo auxilio, atque in fine & exitu vitæ, ſua miſericordia adeſſet. Secundo, ut nunquam manu aut pede truncaretur, vel nervis inciſis debilitaretur, ſed ut vegeto & vigeſcenti,. ubique mens ſana in corpore ſano conſervaretur. Tertio, ut religio, quam quondam profeſſus

 erat,

Nec ſub eius regno anno 1604. introductum Pauletæ ius, ſive commercium officiorum publicorum, quæ certo pretio emi, atque ad hæredes transmitti cœperunt, ſe adeo probat, *Thuano*, quin illud vocet, *conſilium a Rhonio ſuggeſtum, quo officia omnia turpiſſima nundinatione propudioſe præſtare iuſſa ſunt, perniciosiſſimo inſtituto.* Noxium enim eſſe Regis liberalitati, officia habentium liberis, ipſique virtuti. *tom. 5. p. 1136.* Nec ad laudes Henrici pertinet implacabile illud, & plusquam vatinianum in domum Auſtriacam, alia omnia merentem, odium, de quo in ſequentibus plura. Imo quis illum omni cupiditate rei alienæ ſe abdicaſſe perſuadebit, cum tamen non exigua, terminos regni Francici usque ad Rhenum producendi cura ſollicitaretur *vid. Conf. de* BRIENNE *p. 9.* Cum inſuper cogitatio, quaſi Imperium noſtrum a Francorum maioribus fundatum eſſet, ſatis iuſtam cauſam, contra Auſtriacos varia in imperio moliendi, ipſi præbere, ſibi videretur.

*2. Poteſt quoque ex his deſideriis (*vid. deſider. IV. in fin. & deſider. V. VII.*) formulaque orandi Henrici coniici, quale fuerit ipſius ingenium, & annon huc aliquatenus quadret SENECÆ de Mario iudicium, MARIVS, inquit, *exercitum ducit*, MARIVM *ambitio*, vel quod de CÆSARE cenſet: *Quid Cæſarem in ſua pariter ac reipublicæ fata immiſit? gloria & ambitio & nullus ſupra alios eminendi modus p. 402. in epiſt.* Item de Alexandro: *Victor Orientis animos ſupra humana tollit p. 594. de beneſic.* Quæ duo poſteriora principum exempla eo minus a præſenti tractatione abludunt, quod Henrici aſſentatores eum cum Cæſare & Alexandro comparatum eant, & quidem ad minutias usque, ut plane ad Henrici equum parvum deſcendant, & cum Bucephalo conferant eundem. Noſcuntur verſiculi Malherbii ampliſſimo præmio ab Henrico compenſati:

Petit cheval gentil cheval,
Propre a monter propre a deſcendre,
Tu n' eſt pas tant, que Bucephal
Mais tu portes plus qu' Alexandre.

erat, vi & armis, non ſine bonorum vitæque periculo defenderat, una, cum eius aſſeclis, felici fato, ubique uſa perpetuo ſubſiſteret. Quarto ut Deus illum liberaret ab uxore ſua, quo poſſit aliam ducere naſcendi ſorte non inferiorem, moribus iucundis ac bene compoſitis aſſuetam, quæ illum amaret & digna eſſet, ut viciſſim ab illo amaretur, ex qua inſuper mature, atque opportune filios ſuſcipiendi ſpes eſſet, ut parens ipſe mores tenerorum ex ſuo ingenio formare, & ita expolire poſſet, quo deinde paſſim fortium, atque elegantium, nec non ad rem ſtrenue gerendam, ſatis accommodatorum principum laudem aſſequerentur. Quinto ut ad Galliarum coronam aſpirare daretur, cum Rex agnatus improlis eſſet, nec poſteros ſperare poſſet. Deinde, ut regno adepto, illud priſtino ſuo ſplendori reſtituere liceret, ut regnum ipſi contingeret, & diutiſſimum & feliciſſimum, quo durante ſubditorum ſalus promoveretur, recteque & laudabiliter olim inſervientium ſtudia condignis præmiis penſarentur & ornarentur. Sexto, ut occaſio affulgeret regnum Navarræ recuperandi, vel certe Hiſpanum Flandria & Arteſia mulctandi, ut harum deinde provinciarum, cum Franciæ corona facta coniunctio, damnum ex Navarræ amiſſione apparens, ſatis compenſari, atque reſarciri poſſit. Septimo, ut dies adveniret, quo ipſe ante ſigna ſtans regem Hiſpaniæ notabili prælio vinceret, atque inſigni clade illata profligaret, in ultionem tot malorum ab ipſo quondam receptorum. Porro, ut pariter ipſo aliquando ſummo omnium Chriſtianorum copiarum duce & Imperatore, Turca fugaretur, ita enim nomen meritaque ipſius per univerſum orbem celebria fore, atque immortalia. Hos enim ſtimulos ſibi iam diu æmulam Joannis Auſtriaci virtutem dediſſe. Octavo, ut opportunitas ſe offerret, non ipſam religionem reformatam extirpandi, quippe a cuius hominibus ampliſſima in difficillimis & aſperrimis temporibus auxilia, plus vice ſimplici impetraſſet, ſed turbulenta quædam & ſeditioſa factionis Hugonoticæ capita Bullionium, Eſpernonium & Tremollium, ſine vi bellica, ſine armis, quæ tamen ei nunquam forte deeſſent, nec non ſine regni Gallici afflictione ac quarundam provinciarum, vel

con-

concuſſione, vel excidio, tandem ſine veterum clientum ſibique bene cupientium civium offenſa, e numero hominum (aneantir) eiiciendi & ex finibus humanæ naturæ exterminandi. Quod tamen deinde emollitur in deſiderio decimo. Nono ut ipſi quondam executioni mandare liceret duo * 3. vaſta & magnifica animi propoſita atque conſilia. Quæ ſilentio iam condenda (1) vel plane nunquam, vel certe tunc demum, ſi domi Galliæ res omnes bene compoſitæ, pax & quies per totum regnum ſufficientiſſime reſtauratæ, coram eloquenda, & cum aliis communicanda forent. Decimo, ut poſſet Bullionium, Epernonium & Tremollium malitioſos rebelles, & inveteratos inimicos, quippe, qui iteratis vicibus circulos ipſius turbaſſent, gaudia e bene cœptis ſperata intercepiſſent, atque omnis moleſtiæ genere ipſius patientiam exercuiſſent, in ordinem & eo redigere, ut gratia ab ipſis inſignis beneficii loco habenda, animusque malus immutandus, atque ad debita fidelia ſervitia, regi ſuo hilariter exhibenda, deflectendus eſſet. Quamvis ſpes fere decollaſſet, nec ſtatutum in illos rarioris clementiæ exemplum, facile magnam apud peſſimos mortalium gratiam pariturum videretur. Cæterum naturæ dotes egregias quasdam iis in eſſe, Henricus fatebatur, & quidem tales, quas etiamnum ex animo ſuo delere non poſſet.

§. III. Ex his decem votis ſolum penultimum vere noſtræ arenæ eſt, quippe ſub quo Henrici conſilia magnæ illius, quam meditabatur unionis * 1. continentur. Circa eius profundiorem conſiderationem, primum forte cauſa & origo huius

* 3. Latent hic ſine dubio Henrici ſpeculationes de Chriſtianorum unione, de Turca ſedibus ſuis excutiendo. Cœterum de re tanta Henricum adhuc XIX. annorum adoleſcentem iam cogitaſſe, dein autem partim mathematicorum præſagiis, partim victoria Joannis Auſtriaci contra Turcas obtenta partim ſingulari Caroli IX. favore, ad talia meditanda efficacius excitatum fuiſſe, conſtat *c. p. 9.*

* 1. Pateſcit hoc non tantum ex eo quod ſub Myſtico voto non alia delitescere poſſit explicandi ratio, ſed potiſſimum ex eo, quod deinde ipſe Henricus, cum rebus, ut putabat, iam domi & foras pace Vervinienſi compoſitis (*Conf.* colloquium illius cum SULLIO *p. 123. tom. II. & p. 124. ib.*) nec

ius inſtituti plerorumque exercent curioſitatem. Quid nempe Henricum moverit, ut tam arduum, atque difficile opus animo agitaret. Ipſe quidem exiſtimavit, *2. omnia hæc ſolidæ, perpetuæque pacis Chriſtianorum communis ardens deſiderium, regnique Chriſtiani ultra præſentes, quibus includitur cancellos, atque limites, dilatandi ſtudium, animo ſuo ingeſſiſſe. Imo RHONIVS ſive SVLLIVS tantæ excellentiæ præſtantiæque conſilium eſſe putat, ut non tantum e mera veroſimilitudine, probabilique coniectura, ſed ex neceſſaria & evidenti rerum conſequentia concludendum ſit, cœlitus idem Henrico immiſſum, atque a ſupremo divino numine *3. inſpiratum fuiſſe, ut

nec non omnibus ad conſequendum ambitioſum finem præparatis, arcana ſua in Sullii ſinum effundebat, non aliam huius ſui ſecreti, attulerit interpretationem, quam, quod iamdiu gentium Chriſtianarum unionem animo concepiſſet.

*2. Henricum quietem, ut commoditatem, adeoque pacem, qua illæ foventur, revera amaſſe, dubitare non ſinit, eius magna advoluptates propenſio. Interim, cum ambitio in animo ipſius reſidens, reliquos affectus moderaretur, imo ſuperaret, non potuit aliter fieri, quin Henricus ipſe ſuum pacis ſtudium, cum ea demum pax; qua poſt conſiliorum ab ambitione ſuggeſtorum executionem, gaudere licet, ipſi ad palatum eſſet, ſatis ſufflaminaret atque remoraretur. Imo Henricus, tunc quoque ſe pacem promovere & publicæ tranquillitati tuendæ, operam dare credebat, cum revera circa vaſta ambitionis molimina perficienda ſtrenue laboraret & inſudaret. Plerumque enim accidere ſolet, ut cupiditas prædominans, non quidem a meditatione finis ſui plane divertere poſſit, cupiditatem inferiorem, eandem tamen ab eligendis veris adhunc ſcopum conducentibus mediis, vel ipſo homine, qui agit inſcio, callide amoliatur, negotiisque, cupiditati dominæ inſervientibus, occupatam diſtringat. Sunt huius loci, quæ PEREFIX. alibi de Henrici, ſubditos tributorum mole aliquatenus exonerandi, conſilio, quamvis non ſine omni aſſentationis ſpecie adfert: *Au reſte la volonté de ce prince, fût tres connue, pour le ſoulagement, de ſon peuple & pour la grandeur de ſon état, neantmoins, on ne peut nier, qu'il ne ſe ſoit trompé quelque fois, au chois des* MOYENS. *p. 449.*

*3. In litteris ad Regem Henricum *p. 71. tom. V.* ita ſcribit: *ie dirai donc,* SIRE, QV'IL FAVT *bien, que la premiere notion, qui ſe forma en vous de*

ut de unione Chriſtianorum cogitare cœpiſſet, atque ad hunc finem obtinendum, bonique ordinis cauſa, orbem Chriſtianum in quindecim provincias, ſibi invicem non adeo inæquales, mente ſua deſcripſiſſet. Sed, quod Regis opinionem de ſuo propoſito attinet, uti facile perſuademur, quod hæc non in veri ſpeciem ſimulanter dixerit, verum bona fide ſe ad conceptum ſuorum executionem, non niſi curarum ſalutis gentium Chriſtianarum ſtimulis agitatum, duci trahique crediderit, cum homines, ſub quibus ſine dubio etiam in hoc argumento reges continentur, ſuas intentiones plerumque bonas & rectas, ſeque ex laudabili principio agere credant, propenſionum ſuarum naturam & corruptionem nec noſcant, nec noſcere quidem velint: ita ut Henrico nihil humani in inveniendo ſuo conſilio paſſum, nec magna ex parte affectibus ſuis excitatum in primam meditationem ſyſtematis ſui incidiſſe, animitus pro vero credamus adduci non poſſumus. Neque vero dubia hic tantum communis cupiditatum humanarum indoles, & ea, quæ iam iam de Henrici nævis, e domeſticis fideque in re hiſtorica dignis teſtibus hauſimus, ſuggerunt, ſed & alia momenta inſuper adſunt, quæ teſtimonium Henrici in propria cauſa latum, ſuſpectum reddunt. Initio ex omni Henrici hiſtoria conſtat, quod ipſum male habuerit Auſtriacorum & agnatorum in Hiſpania, regna & provincias latius patere, quam ditiones, quæ regno Gallicano iſto tempore ſuberant, ſecundo, illud ferre non potuit, quod iſthoc ævo Hiſpanos Monarchiam univerſalem anhelare * 4. rumor in-

---

ce magnifique batiment & glorieux deſſein, y fût infuſè du ciel, d'autant qu'elle ſurpaſſe toute humaine cogitation, tant ſublime puiſſet-elle être. Plusque cette même favour celeſte, vous fit parcourrir, toute l'etendue, de toutes les regions, dans les quelles, vôtre ſpeculation protettoit, de former ſon établiſſement. Plus que cette même puiſſance celeſte, vous inſpirat, de diſtinguer, toute cette vaſte etendue de regions, en QVINCE PRINCIPALES, *mais diverſes ſortes, de dominations ſouveraines.*

*4 Hoc affectatæ Monarchiæ univerſalis crimen, Hiſpanis, non tantum Henricus ipſe, ſed & eius miniſtri, ubique præcipue apud Regem Anglorum,

increbuiſſet. Porro varia & indigna ſe paſſum putabat ab Hiſpanis, hinc mala malis rependenda & vicem cum uſuris, veluti centeſimis exſolvendam eſſe. Quarto urebat ipſum, quod Romano Imperio, ad curam quondam prædeceſſorum ſuorum, ut putabat, ſpectante, ſibi inviſa gens Auſtriaca potiretur, nec omnes nationes ad conſilia gallicana unice reſpicerent, nec eadem comiter revererentur. Vlterius inſatiabilis cupido gloriæ Henrico inerat, per nova inſtituta, novas gentium cataſtrophas, auſusque hactenus inauditos, nomen *5. æternitati conſecrandi. Nominatim ſexto mire ſibi placebat: futuro ſummi capitis, atque univerſi Chriſtianorum Imperatoris titulo. Iam ſibi poſt imaginariam ſub ipſius auſpiciis, & ad arbitrium ipſius compoſitam unionem, ante tot hominum myriades, tot militum legiones ſplendidiſſimo magnumque regem decenti apparatu incedere, ſuis gratiſſimo ſpectaculo, hoſtibus terrori, toti orbi miraculo eſſe, de reipublicæ Chriſtianæ ſalute, de Portæ Ottomannicæ rerum ſumma, ſtricto regali enſe ſibi decidere, & Herculæ digniſſimum triumphum, inter totius mundi acclamationes agere videbatur. His ſive vaticiniis, ſive iucundiſſimis ſomniis, Henricus agebat, vel rectius agebatur. Non peculiaris tantum ſibique ſoli inditi affectus ſtimulo, ſed omnium iſtorum magnatum, de quibus poeta:

Igneus eſt illis vigor & cæleſtis origo,

nativo

---

glorum, & Germaniæ proceres, ad conflandum illis odium obiecerunt, & hac accuſatione, per omnes potentiorum aulas, tanquam certiſſimo claſſico, efficacique dato, ad pugnam communem ſigno, contra utramque, Auſtriacorum ſtirpem uſi ſunt. Singula auctorum loca allegare, non attinet, loquuntur id, omnes iſtius ſeculi, ipſorum etiam Gallorum annales.

*5 Sic enim ipſe in voto ſeptimo, *p. 7. apud Sully tom. II.* a Deo orat: *de me faire gagner en perſonne une bataille, contre le Roy d' Eſpagne, pour revange, de tant, de meaux, qu' il m' a fait, & une contre le Turc*, OV IE FVSSE GENERAL DES ARMEES CHRETIENNES, *(ayant touiours eu cette emulation, contre don Jean Baſtard d' Autriche) a fin de rendre*, MA GLOIRE & MA RENOMMEE, CELEBRE DANS LE MONDE.

nativo genio & impulſu. Sed ecquid ſupereſt, quod SVLLIO opponamus, teſti, ut videtur locupleti, magnarumque rerum ſat prudenter in toga, & ſago geſtarum gloria illuſtri? Enimvero nec hic reſponſio deeſt, initio SVLLIVS optime intelligebat veterum regulam: arbor honoretur, cuius nos umbra tuetur. Deinde noſcebat ingenium regis * 6. laudum ad aſſentationes, usque cupidi. Tertio divinum, * 7. quod SVLLIVS Regis ſui cœptis, quæ per in quindecim præcipuas provincias, reipublicæ Chriſtianæ deſcriptionem, ad Gentem Auſtriacam avita hereditate, patriisque in Germania ſedibus & laribus excutiendam collimabant, ineſſe credebat, experientia certiſſima rerum omnium magiſtra, tam aperte & luculenter refutavit, ut plura addere otioſum foret.

§. IV. Sibi itaque quaſi ſoli, diu habuit * 1. Henricus noſter, ſuas, de futuro unionis Chriſtianorum ſyſtemate, meditationes: neque aliter ſuadebant, cum ſublimitas illarum,

F tum

* 6 Vnde, PEREFIX *p. 398.* rationem redditurus, quare iuſta reginæ indignatio, atque ira, ex Henrici pellicatu concepta, maritoque ſæpius oſtenſa, parum prodeſſent, ad flectendum, rectamque in viam reducendum, ſemel ab ipſa abalienatum animum; ita philoſophatur: *La Reine, de ſon coté, ſ' emporta, avec raiſon contre Mad. d' Entragues, & en faiſoit ſes plaintes, a tout le monde. Mais ce n' étoit pas le moyen, de gagner l' eſprit du Roi, il eut mieux valû, qu' elle eut ſagement diſſimulé, ſon deplaiſir. Le Roi aimoit, à être* FLATTE.

* 7. Quibus iraſcimur, eos & Deum odio habere ſæpe credimus, eadem fuit SVLLY in hoc argumento, religio, idemque de Auſtriacis, regi ſibique exoſis, iudicium. Vnde, Regis ſui ad depreſſionem & afflictionem illorum tendentes conatus, & pro hoc ſcopo, excogitatam regnorum Chriſtianorum diviſionem, divinum opus, & a Deo inſpiratum conſilium, appellat. Sane, ſi diligentius novum teſtamentum, & præcipue *c. V. Actor.* legiſſet, *verſic. 38. 39.* characterem inveniſſet, operum conſiliorumque divinorum, quod ſcilicet, ab hominibus impediri nequeant, ſed SVCCEDANT. Applicatio, ad inventum XV. provinciarum in glorioſæ domus Auſtriacæ exitium excogitatum, tam in proclivi eſt, quam imber quando pluit.

* 1. Adhibenda hic eſt fides, collectoribus adverſariorum Sullii, utpote, documentis authenticis innixis. Quorum ſequentia ſunt, *p. 9. ſt. II. toutes lesquelles meditations, quelque louables & magnifiques, q' elles puſſent*

tum tot domi & foras, alia ſubnata negotia, quæ differri non poterant, ſed præſens remedium exigebant. Præcipue bellum cum Hiſpano ſuſceptum, nec non in ipſo Galliæ ſinu, mutua civium Catholicorum & Reformatorum odia, factioſorum ſtudio, malitioſe protracta & gliſcentia, ſepoſitis, pro aliarum gentium bono, conceptis votis, ad proprii regni mala reſpicere, atque ante omnia, circa horum curationem, conſilia maturare, iubebant. Imo præterea, contentiones ſimultates, rixæque cum regina, non ſine mutua culpa, crebrius in familia, thoroque Henrici, excitatæ, illius animum, tot tædiis atque moleſtiis diſtinebant, ut & res uxorias, minus feliciter, ac perperam ſuccedentes, inter cauſas referre cogamur, *2. quæ, arduum, ac in ſe ſat magnæ molis opus, plus vice ſimplici, magis adhuc implicuerunt & retardarunt. Cum vero, pace Vervinii *3. cum Hiſpano anno MDXCVIII. poſt varias procra-

ſent être, le Roi ne laiſſa pas, de les tenir longues (p. 295. t. VI. nominatim definiuntur decem anni ſilentii huius) *années, rencloſes & renfermés; dans lui même, ſans en vouloir, rien declarer ouvertement, ni même, en confier aucune partie, a ſes plus ſpecieux miniſtres, ni ſerviteurs, qu' il n' eût auparevant, davantage advancé, tous les preparatifs, qu' il avoit iugé neceſſaires, pour faciliter, les commencements, pourſuites, progres & perfections, de ſes hauts, ſplendides & magnifiques deſſeins, eſſayant inceſſament, d' accroitre & augmenter, dextrement, amiablement, ſans bruit, rumeur, ni donner l' alarme, à perſonne, ſes amities, alliances & aſſociations, avec les plus puiſſantes dominations etrangeres, &c. adde p 295 t. VI.*

*2. Teſtem, aſſerti noſtri adducimus, Archipræſulem PEREFIXUM, hominem gallicum, & præcipuæ dignitatis clericalis virum, quod utrumque, eius teſtimonio, non exiguum robur conciliat. Verba eius, *(p. 436.)* ita fluunt: *Mais la Reine ſa femme, avoit un extreme chagrin, de ſon libertinage ſcandaleux, qui cauſoit, a toutes heures, des picquanteries entre eux. L' ennuy, & le deplaiſir, de ſes brouilleries domeſtiques, retardoient aſſurement, l' execution, du* GRAND, DESSEIN, *qu' il avoit formé, pour le bien & le repos perpetuel, de la chretienté, & pour la deſtruction, de la puiſſance Ottomanne.*

*3. Conditiones, huius pacis, in quas utrinque conventum, item, quæ ſalebræ, remoræ & difficultates, negotio pacis obiectæ fuerint, recitat THV-

craſtinationes, inita, extraneæ inimicitiæ, ſublatæ eſſent, Henricus exſolutum, magna curarum parte animum apertius ſolito, ad vaſtum ſplendidumque cœptum, denuo rurſus adiiciebat. Celebrabatur illo tempore, per totam Europam, * 4. Eliſabethæ Anglorum Reginæ, ſumma ſapientia, rerumque

F 2 geren-

THVANVS *p. 782. ſeq.* Cœterum ab huius pacis concluſione, computandum eſſe, novam illam periodum, in qua conſilia, unionis magis apparere, & coram communicari, cœperunt, ex PEREFIX *p. 463.* & certius adhuc ex *Collector. adverſar. Sull. tom. V. p. 241.* conſtat.

*4. Summa Reginæ Eliſabethæ ſapientia, rerumque, ab ipſa geſtarum amplitudo, non tantum ex iis, qui Anglorum & Gallorum hiſtoriam conſcripſerunt, ut du CHENIO, LARREO, CAMDENO, THVANO, *vid. inprimis t. 5. eiusd. p. 1050. ſeq. &c.* pateſcit, ſed & papæ: *qui orbis imperio, dignum cenſet*, ut & Henrici noſtri, *qui virtutes ipſius, magnas & incomparabiles, damnum per eius mortem, Franciæ illatum, irreparabile* dicit, nec ſe, tanto auxilio, atque coadiutorio deſtitutum, apud exteros amplius, operæ pretium facturum, vel aliquid, gloriæ dignum auſurum, *p. 274. t. III. & p. 245. 244. tom VI. Sull.* fatetur, nec non ſucceſſoris Eliſabethæ, Jacobi I. *qui prudentia & felicitate imperandi omnes inde usque, ab Auguſto principes, iſtam ſuperaſſe*, ſcriptum *in proem. don. baſil. p. 998. apud* CAMDEN. reliquit, magnis & fide digniſſimis teſtimoniis, luculentiſſime, (ſi res evidens, demonſtratione inſuper egeret) demonſtrantur. Cum vero Henricus, non tantum ſat magnificé, de huius incomparabilis Reginæ, animi dotibus ſentiret, ſed utriusque regni rationes, eundem, ad ſinceram amicitiam cum illa conſtanter colendam, manifeſto invitarent, ultro (anno 1601.) de communi colloquio, ſuper arduæ, unionis univerſalis opere, inſtituendo cogitabat. Itaque ex condicto Regina Doveram, Rex Caletum, quo deinde ex locis, e quibus breviſſimus, ab altero regno, in alterum traiectus eſt, facile in mutuum conſpectum, conveniendi & utrinque, coram ſermones miſcendi, opportunitas eſſet, proficiſcebantur. Et quamvis deinde, ut fieri ſolet, de ceremoniis & ritibus, ſe invicem excipiendi, inter utrosque reges, convenirì non poſſet, miſſis tamen hinc inde, internunciis, de magni momenti negotiis, ut & de ipſa unione tractatio ſuſcepta eſt, approbavitque Regis cœptum, Regina. Prolixius hæc enarrant, *Collector Sull. ſæpe cit. t. VI. p. 241. Entre tous lesquelles, il* (Henry) *choiſit, ſa ſinguliere & parfaite Amie cette genereuſe Eliſabethe, Reine d' Angletterre, a la quelle ayant eſcrit, qu' il eut infiniment deſiré, de la pouvoir entretenir, de pluſieurs affaires, dignes de ſes*

gerendarum providentia. Vnde, Henricum cupido ſubibat, ut cum Eliſabetham, Doveram acceſſiſſe intelligeret, Caletum pergeret, ibique, Rhonio uſus internuntio, quidnam, de inſtituto ſuo, ſentiret, ex ea ſciſcitaretur, magnum utique pondus, toti negotio, ſi tantæ Heroinæ, ſuffragio ſe probaret, acceſſurum eſſe, ſatis certo perſuaſus. Neque vero adeo, Eliſabèthæ diſplicuit, Henrici inventum, quin illi, ex quo ſchema inſpexerat, ſuum quoque calculum * 5. adderet. Quod tamen, utrum

ſes vertus & de la grandeur, de ſon courage. Tout cela fut, ſi bien menagé, qu' ils ſe donnerent, rendesvous, a Calais & a Douvre, avec deſir de ſe voir, mais certaines ceremoniales difficultés, allegués, par de leurs factieux ſerviteurs, en ayant empeché l' effêt, ils traiterent, les mèmes choſes, par l' entremiſe, de leurs plus confidens ſerviteurs, envoyés, de l' un & de l' autre. Et n' eut pas ſi tot le magnanime & grand eſprit de cette Reine, entendu, la propoſition; que le Roi lui fit faire, de prendre, conioinctement avec leurs autres, fidelles & bien aſſociés Amis, le deſſein, d' eſſayer VNE REPVBLIQVE TRES CHRETIENNE, *toujours pacifique, en elle même, compoſée de tous les potentats, de l' Europe, & les raiſons & fondements d' icelle, que non ſeulement, elle ne l' approvat, mais l' admirat, diſant, ne ſe pouvoir former de plus hautes conceptions &c.*

*5. Suffragium Eliſabethæ, omnino ſuo modo, ambiguum, atque conditionale eſt, applaudebat enim, Henrici conatibus, ſub conditione: *pourvuque, les moyens de l' execution, ſe paiſſent trouver, dont, pour ſon regard, les plus grandes difficultés, conſiſtoient, en un accommodement, des diverſes, religions, ſans guerre, & a reduire, en approchante égalité, d' etendue, de domination, force & puiſſance, tous les potentats chretiens, dont cette republique, ſeroit compoſés p. 242. d. l.* illud obiter obſervandum, quod circa hiſtoriam, de colloquio Eliſabethæ & Henrici, relationes ſcriptorum, non ſatis ex aſſe ſibi invicem reſpondeant. THVANVS *p. 967. t. V.* nil de Reginæ ad Doveram acceſſu memorat, nec CAMDENVS *p. 873.* ille, Eliſabetham, ita ad BIRONIVM Galliæ legatum, loquentem introducit: *quod hactenus impotens, Regis coram alloquendi deſiderium, eam tenuiſſet, nunc magno ſolatio eſſe, quod* BIRONIVM, *virum virtute præſtantem, & qui tot egregie factis, late nominis ſui famam, diſtuliſſet, coram videre & complecti liceret &c.* Hic autem, de his omnibus, plane ſilet, imo per Thuaneam narrationem (ipſo quidem non nominato) falſa quædam, in Reginæ, cum Bironio habitum ſermonem inſarciri *p. 872. in fin.* notat. *add. t. IV. p. 504. t. V. epitr. prælimniaire t. III. p. 278. Sull. collect.*

utrum vere & ex animi ſententia, an vero in ſpeciem tantum & quodam Henrico, qui gloriam & laudes aucupabatur, placendi ſtudio, factum ſit, haud definiverim. Sed, per ſolam pacificationem Vervinenſem, quippe quæ tantum, contra vim bellicam, ab Hiſpanis metuendam, ſecurum eſſe iubebat, nondum omnia Henrici in vado conſtituta, atque ita compoſita eſſe videbantur, ut ſine ulteriori cautione adhibita, ſtante pede, ipſum unionis opus, aggredi poſſet. Igitur, ne tot vigiliæ, a tanto tempore, circa introductionem novi veluti inter Chriſtianos ſeculi, novæque communis reipublicæ formæ, ſi deinde ad rem ventum eſſet, in caſſum conſumtæ, omniaque, iamdiu apud animum tam ſpecioſe cogitata, tanto ſolidioribus ſuperſtrui fundamentis viderentur: duo, ne in limine deficeret, præmittenda eſſe, iudicabat. Primo, ut ſingulas Chriſtianorum gentes, divulſas hactenus & non tantum, circa bona huius vitæ diſſidentes, ſed quoque, circa ipſa religionis ad futuram vitam ſpectantia capita, inter ſe diſceptantes, atque in ſtudia plane contraria ſciſſas, ſibi invicem iterum funditus conciliaret, earumque animos exacerbatos, non tantum inter ſe pacaret, ſed & erga ſe ipſum, etiam bene affectos redderet, amicitiaque in perpetuum duratura, ſingulas chriſtianas respublicas undique colligaret. Deinde ut exquiſito ſtudio, adminiſtros eligeret, quorum fides, non tantum experta & intemerata eſſet, ſed quorum ope, Galliarum regnum, coli, augeri, & ad maiorem ſplendorem, adornari, imo omnia ita, ut Gallis, tam a vi externa, quam motibus inteſtinis, nihil amplius metuendum reſtaret, fiduciamque Henrico in propriis viribus ponere liceret, componi poſſent. Pro quibus obtinendis, denuo quinque ſibi agenda exiſtimabat. Initio, ut cives Gallicani, edicto publice promulgando, in pace vivere, & a mutuis, quæ a religionis diverſitate, utrinque timebantur iniuriis, ſibi temperare, iuberentur. Secundo, ut regnum Galliæ, non leviter obæratum, ab ære alieno liberaretur, & nomina rite contracta debita ratione expungerentur. Tertio, ut pax Verviniana, ſublatis, qui adhuc ſupererant ſcrupulis, &

in Sabaudi gratiam, ſive forte fortuna, ſive data opera, in eius conſcriptione, non ſatis provide relictis dubiis, plene purgaretur, atque novo conſilio ſapienter confirmaretur. Quarto, ut amicorum ſocietas, novis acceſſionibus, pertractis novum in fœdus, lautis conditionibus, plurium regnorum, principibus locupletaretur. *6. Tandem quintum, poſt fata Eliſabethæ acceſſit, ut primo properato futuræ unionis ſchemati, quale Eliſabethæ quondam exhibitum erat, ea quæ præſens, rerum facies expoſcebat, curate adderentur. * 7.

§. V.

---

* 6 Tranſtulimus hæc ex *epiſt. proœm.* quam *Collectores* ſæpe allegatorum *Sullianorum adverſariorum tom V.* præmiſerunt, ubi paulo latius, gallice referuntur. Ex his quinque præmittendis, præcipue cura pacis religioſæ Henrici, peculiarem laudem meretur, quod ſanguinolentis Jeſuiticis conſiliis poſthabitis, reformatæ religionis homines, in ſuam protectionem recipere, illorumque ſecuritati, egregio illo, Namnetenſi edicto anno MDCVIII. conſcripto, regioque ſigillo firmato, Anno vero ſequenti demum, graviſſima & emphatica regia oratione præmiſſa, promulgato, amplum præſidium, circumponere voluerit *vid. Thuan. p. 782. 860. ſeq. d. l. tom. V.*

*7. Formula, capitaque unionis, qualem Eliſabetha, ſibi oblatam viderit, non ſatis plene, nec in una compage in *Adverſar. collect. Sull.* exhibentur. Nihilominus, particulas & fragmenta quædam, inter Henricum & Eliſabetham, hoc paſſu actitatorum, nobis conſervarunt *ead. adverſ. t. V. p. 242. ſeq.* Initio in commune conſultabatur, ut legati, arcanorum capaciſſimi, fidei atque dexteritatis expertiſſimæ, ad tentandos, Reges Sueciæ, Daniæque, nec non Electorum, Prælatorum, Principum & reliquorum Imperii Romani Germanici, regnorumque Hungariæ & Bohemiæ ordinum animos, quemque conſiliorum, de priſtina imperatoris eligendi libertate, regnique Bohemiæ & Hungariæ privilegiis, iam fere antiquatis, reſtituendis, inter Regem & Reginam, ventilatorum, guſtum haberent, ſciſcitatum mitterentur. Deinde, ſi hæc probarentur, ut mentio quoque fieret, conſilii circa XVII. provincias Belgicas concepti, cuius ſumma eſſet, ut ius autocratoriæ ipſis concederetur, atque in unam, liberam immediatamque, rempublicam collectis, nullum amplius, Imperatoribus homagium præſtandum reſtaret, ſed ſufficeret, cameræ Imperiali, in præſentia Electorum, quos inter & Gallus, ſecundum novi ſyſtematis rationem, computatur, data in decori ſpeciem dextra, quotieſcunque Imperatorem mori contigerit, qualemcumque fidem adſtrinxiſſe.

§. V. Poſtquam Eliſabetha, anno MDCIII. menſe martio, fatis ceſſerat, multum quidem, de ſpe ſua remiſerat Henricus, utpote conſiliis, monitisque prudentiſſimæ Reginæ, quibus adiutus, res extra Galliæ regnum, ſat feliciter hactenus geſſerat, impoſterum nunc circa graviſſimum, quod unquam molitus erat, opus *1. cariturus. Attamen, non plane deſpondebat animum, ſed iam in Iacobum, quem Eliſabetha, ita populo iubente, atque volente, ſucceſſorem ſibi in regno conſtituerat, oculos coniiciebat. Decernebatur itaque eodem, qui Eliſabethæ mortiferus erat anno, in Angliam Legatio, cui perſpectiſſimæ probatiſſimæque fidei, apud Regem adminiſter, SVLLIVS deſtinabatur. In ſpeciem, ut penes Iacobum, de noviter ſuſceptis regni faſcibus, gratulandi munere fungeretur, revera autem, circa rem maximi momenti illius animum periclitaturus. In mandatis enim arcanis habebat, ut non quidem,

xiſſe. Relicta cœtera, toti Weſtphaliæ licentia, tam laudabili novæ reipublicæ corpori, ſi plene forte ab Imperio divertendi cupido ſubiret, ſe aggregandi atque aſſociandi. Tertium, Helvetos attinebat, quos comitatus Tirolenſis, aliisque Auſtriacis ſubtrahendis ſpoliis, ditatos Rex & Regina, iisdem legibus, quas iam de Belgio adduximus, libertati reſtituere meditabantur. Et hoc egregium, ut videbatur utrinque, inſtitutum, cum Sueco, Dano & reliquis, quos iam iam recitavimus communicandum eſſe credebatur. Quo vero omnia, magis ex Henrici & Eliſabethæ votis, atque animi ſententia gererentur, curarum onus, in partes æquales dividere placebat, ita ut partium Eliſabethæ eſſet, Reges ſeptentrioni imperantes, ad acceptanda communia conſilia perſuadendi, Henrico apud reliquos, præcipue maxime ſibi vicinos, opus ſtrenue urgente.

*1. Nihil hic adulationi damus, nam ipſe Henricus, in literis ad Sullium, poſt mortem Eliſabethæ ſcriptis, dicta noſtra ſatis confirmat: *Nous fiſſions, elle & moi, de grandes deſſeins, que vous ſavés auſſi bien, que moi, vous-y-ayant employé. J'ai donc cette perte irreparable, au tems, que ie me penſois davantage prevalair, de ſa magnanimité, &c. de Nancy ce 10. Avril 1603.* Accedit teſtimonium *Collector. Adverſar. Sull. t. VI. Lorſque le Roi Henri, entendit les premieres nouvelles, de la mort d' Eliſabeth, il en receut un tant extreme deplaiſir, & prit un ſi grand ennuy, accompagné meſme, d' un deſeſpoir, de pouvoir plus rien pretendre de grand, hors de ſon Royaume, &c.*

dem, tanquam legatus, & quaſi Henricus ita imperaſſet, verum tanquam propria, rerum magni momenti, curioſitate vexatus, tentatusque, in ſecreto, cum rege occaſionem colloquendi nactus, *2. fidem Regis atque ſilentium, ſpecioſe & decenter obteſtatus, ſequentia, per modum quæſtionum *3. arcanarum, cautiſſime exponeret, & quid regi deſuper arbitrandum, iudicandumve videretur, expiſcatum iret. Primo, an non optandum eſſet, ut pactis inter Henricum & Eliſabetham, ante biennium conventis, adhuc ſtaretur. Secundo, an non e re eſſet, ut omnia Chriſtianorum regna, civitates, in unam rempublicam, coniungerentur. Tertio, an non exoptandum, ut gentes omnes, una cum Chriſtianis per Europam, in quindecim dominationes deſcriberentur. Quarto, an non deſiderandum ſit, promptum atque efficax remedium, quo cum magna illa futura respublica, tum ſingula eius membra & quindecim dominationes, in perpetua pace, conſervari poſſent. Quinto, an non expediat, diviſionem gentium, ita definire, ut dominationibus ſingulis, ſua æqualitas conſtet, nec altera, alterius vires valde notabiliter exſuperet, quo mutua odia, ſimultates atque mutuæ æmulationes, ceſſent & longiſſime abſint. Sexto, num ne conducat, bono temperamento adhibito, rixas, diſputationes & contentiones tollere, atque cum pulviſculo veluti, eiicere. Septimo, an non optandum, ut Imperii Electoribus & reliquis ordinibus, priſtina Imperatores eligendi, liber-

---

*2. Satis quoque ingenioſe dextreque, hac cautela ubique, maiorem ſpeciem dictis, argumento communium, fere cum Jacobo ſacrorum in ſubſidium vocato conciliare noverat Sullius, formula inter agendum identidem repetebatur: *ie ne, parle pas en qualité d' Ambaſſadeur de mon maitre, mais comme ſerviteur particulier de V. M. & bon Huguenot & prenant intereſſe en l' exaltation de ſa grandeur & proſperité, & de tous ceus de la mesme Religion.* Item: *je dis cela ſimplement de mes imaginations & fantaiſies & encore engendrées par l' extreme paſſion, que j' ai, pour la conſervation & accroiſſement de ma religion.*

*3. Extant hæc *p. 284 t. III. Collect. Sull.* ſub rubro: *Memoires pour ſavoir de ſa Maieſté, ſur lesquels des points il trouvera bien, que Monſieur de* ROSNY, *(dit apres Duc de Sully) faſſe des propoſitions ſeulement.*

libertas reſtitueretur. Octavo, an non optandum, ut limites finitimarum Rerumpublicarum, quam accuratiſſime deſignentur, ac tam perſpicue deſcribantur, ut in futurum omne finiundorum regundorum iudicium quieſcere & ceſſare poſſet. Porro, an non expetendum, ut omnes lites, inter gentes Chriſtianas, non tantum ſopiantur & componantur, verum etiam arma Chriſtiana, copiæque fraterno quaſi fœdere inito, pro communi cauſa, iungerentur. Vndecimo, an non optandum, ut quiete inter populos Chriſtianos, ſemel firmiter ſtabilita, nummi, qui alias bellis illorum civilibus, impenderentur, expeditioni, contra infideles faciendæ, perpetuoque militi, in hunc uſum conſcribendo, alendoque deſtinarentur. An non duodecimo, conſultum ſit, omnes Chriſtianorum principes, ut decidendis controverſiis ſuis, præcipue, iis quæ occaſione ſucceſſionum, aut præſentis partitionis tractatus, emergere queant, non vim & arma, ſed arbitros & compromiſſa adhibeant, aliqua ratione obſtringere & obligare. Tandem decimo tertio, ſi quædam civitas, inter Europæ chriſtianos eſſet, cuius Imperium, tam ab extraneis, quam ab ipſis civibus ambiretur, interim uni, eandem perpetuo poſſidendam relinquere, per provinciarum ipſius civitatis ſitum, periculoſum foret, annon conduceret, in eiusmodi civitate, talem reipublicæ formam introducere, quam ſummus, copiarum chriſtianorum dux, ſibi aptam, commodamque, iudicaret. Quoad reliqua, Sullio ab Henrico committebatur, ut Jacobo pericula, quæ tantum non omnibus Chriſtianis Imperatoribus, a magna *4. Auſtriacorum & Hiſpanorum potentia impenderent, luculenter exponeret, monſtratis Hiſpanorum technis & machinationibus, quibus aliorum regum ſubditos ad frena mordenda, renitendumque, continuo excitarent, ſtimulos illorum ſtudiis, Indorum divitiis per ſe iam ſatis animatis, facile addente pontifice Romano. Summopere præterea Belgarum cauſam,

---

*4. ubi hæ cantilenæ extent, vix opus eſt, ut loca citentur, cum in *tom. III. V. VI.* tantum non utramque paginam faciant conſer. interim *p.* 301. 302 *ſequ. p* 327 *ſequ. tom. III.*

ſam, Anglo commendandam, ut cum Gallis auxilia ſubminiſtrare pergeret, ne res Belgicæ iam nutantes, non ſine ingenti, commerciorum utriusque gentis periculo, certiſſimaque ruina, plane concuterentur, atque opprimerentur. Et ne illecebræ, atque invitamenta deeſſent, ad capiendum Jacobi animum, futuras neceſſitudines, nuptiasque inter Delphinum & Jacobi filiam, magno utriusque regis emolumento, contrahendas, ſpecioſe oſtentatas, abunde eſcæ ſpeciem præbere poſſe, credebatur. In ſchedis Sullii arcanis, adhuc quatuor aliæ propoſitiones, Jacobo privato nomine inſinuandæ continebantur. Initio, *5. ut Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Daniæ, atque Belgii, collata, ſecundum cuiuslibet reipublicæ facultates, in communem uſum pecunia, tres claſſes adornarentur, quæ ſingulis tribus menſibus exactis, in opera bellica ſibi ſuccederent, Hiſpanorumque copias navales Indiæ tuendæ deſtinatas, continua excurſione defatigarent, atque interea, ſi non omnia, quæ apud Indos poſſident Hiſpani, certe inſulas, quæ eisdem in navigatione Indica commodum, vel receptum præbent, occuparent. Deinde, ut communia conſilia, eo dirigerentur, ut Auſtriaci, cum Imperii Romani axiomate privarentur, tum omnibus ſuis provinciis hereditariis, Bohemia, Sileſia, Moravia &c. eiicerentur, ſpoliis, ut & ducatibus Juliæ, Cliviæ & Montium, mox aperiendis, inter principes Germaniæ hinc inde dividendis. *6. Tertio, ut Belgium Hiſpanicum, ab exercitu communi, undecunque obſeſſum, ad incitas & deditionem adigeretur. Quarto, ut utraque Auſtriacorum ſtirps, omnibus ſuis regionibus mulctata, intra ſolius Hiſpaniæ fines ſe continere iuberetur. Hæc omnia Sullius apud Jacobum coram expoſuit,

*5. *d. p. 327. t. III. ſequ.*

*6. *In proiecto. quod p. 428 ſequ. t. III.* habetur, expreſſe dicitur: *d' arracher de la maiſ.n d' Auſtriche l' heredité de l' Empire d' Allemagne & des états & Rojaumes de Hongrie, Bohemie, Moravie, Sileſie &c. convi.ant a ſes deſſeins les princes d' Allemagne, avec aſſurance, que toutes les diſtributions ſ' en feroient a leurs advantages & non d' autres.* Quamvis deinde Helveti, Papa, Sabaudus, Belgæ &c. quoque ad ſpem prædæ invitarentur. *t. V. p. 12. Sull.*

poſuit, ſimulque præſentem Chriſtianorum ſtatum, *7. in duas factiones, Catholicam & proteſtantem ſciſſum commemoravit, cum, quinam principes, a parte utraque ſtarent, recenſendo, tum ſingulorum habitum, ac conditionem examinando. Neque vero occaſio defuit, Suecorum, Danorum, Belgarumque legatos, Londini eo tempore præſentes, tentandi & cum iis, de tantis Henrici auſis, ſermonem conferendi. Qui tamen omnes, æque, ut ipſe Rex Anglorum, licet forte talia conſilia, ipſis non plane diſplicerent, manum immaturo adhuc operi admovere, *8. ſuarumque rerum ſummam, in nondum neces-

*7. *p. 467. d. l. t. III.*

*8. De miniſterii Anglicani ſententia ad Henricum ſic ſcribit SVLLIVS: *Les miniſtres, a qui j' avois propoſé les queſtions comme de moi même & ſans aucune charge d' ailleurs, n' ont pas laiſſé de leur aſſocier tant d' egard circonſpections, temporiſemens, remiſes d' executions, & d' obſervations a faire, pour empecher de rien precipiter, mais d' attendre la maturité des occaſions, & la bonne aſſiette des esprits, qu' ils croyent avoir pris des precautions contre tout ce qui les pouvoit obliger, a s' embarquer en des deſſeins de douteuſes iſſues.* Apertius Jacobus ipſe reſponderat: *qu' il êtoit de la neceſſaire temperance & circonſpection de toute nouvelle Royauté de ſe donner an & jour de terme, avant que de faire aucunes innovations, afin de n' en exciter point, qui lui puiſſent nuire.* Suecorum legatus periculum inſtantis cum Polono belli cauſabatur, quod regem curis, ſua tantum contra tam vicinum hoſtem tuendi diſtentum, ne alibi apud extraneos res novas moliretur, ſatis vetaret. Belgas circa Oſtendæ obſeſſionem ancipites hæſiſſe, & quid eius ſolutionem, vel urbis expugnationem excepturum ſit avide exſpectaſſe, iam indicavimus. Sed & Danorum rationes audiamus: *De la part du Roi de Danemarck* (pergit Sullius) *lequel a la verité a domination ſur de grandes & fort diverſifiés eſtendues de terres & pais mais la plus part infertiles, de bizarre ſituation & grandement incommode habitation, il fut allegué par ſes deputés, que ſes peuples, bien qu' aſſes dociles, étoient neantmoins ſi divers en moeurs humeurs & fantaiſies, que pour les contenir en obeiſſance envers lui, et patience entre eus mêmes il êtoit contraint d' y changer ſouvent d' ordres, de formes et de reglemens, êtant maintenant apres, pour voir ſ' il en pourroit point etablir de perpetuels, avant le ſuccés duquel deſſein l' état de ſes affaires l' obligoit a ne s' engager abſolument en nulle entrepriſe preſente, qui put être douteuſe.*

ceſſarii belli diſcrimen adducere, recuſabant. Nominatim Belgarum mens erat, antequam ad nova ſe accingerent, eventum famoſæ obſidionis Oſtendæ, expectandum eſſe. Hoc enim, tandem feliciter contingente, de maioribus, cum fructu ſuſcipiendis moliminibus, opportune conſultari poſſe.

§. VI. Sed Henricus non tantum cum principibus *1. ſecularibus, verum quoque cum ipſo ſummo Pontifice conſilia ſua communicabat. Neque vero in huius aula res difficiliorem eventum nacta eſt. Neque Henrici animi propoſita curiæ Romanæ commodis adverſabantur. Nam initio Henricus Reges ſeptentrionis Danum & Suecum ſedi Romanæ conciliare tentabat, ita, ut quamvis de plena ad vetera dogmata reductione, forte deſperandum eſſet, nihilominus bona exiſtimatio papæ externa, iterum notabiliter in borealibus regionibus reſtauraretur, regesque ipſi ad ſublimitatem *2. univerſæ quondam capitis eccleſiæ comiter conſervandam, bonis rationibus denuo invitarentur. Deinde non ſpernendam partem exuviarum

*1. Inter principes politicos iam Regem Angliæ primo loco nominavimus, ſed præter ea, quæ cum Sueci, Dani, Belgarumque legatis acta ſunt, huc quoque pertinent conſilia cum Heſſorum Landgravio & Anhaldino, qui proteſtantium in Germania nomine ad aulam Henrici ablegati erant, a Sullio collata, nec non colloquia cum Belgarum Venetorumque legatis ab eodem, de hoc argumento habita. Imo Henricus per emiſſarios ſuos Vngaros, Bohemos, Transſylvanos, Helvetos, Sabaudos & alios Italiæ principes tentabat, & ſolicitabat *vid.* PEREFIX 476. SVLL. *t. VI p. 261.*

*2. Non quidem totidem verbis hæc in litteris Sullii leguntur, dicit enim tantum, quod regi danda ſit opera: *d' eſſayer de faire agreer aux Rois du Nord, ſi non une entiere reconciliation avec le pape et l' egliſe Romaine, au moins une ceſſation de haine, animoſité et de toute averſion des uns envers les autres.* Sed qui novit ingenium SVLLII, artemque pontifici externo honoris cultu placendi, quæ non tantum e litteris ipſius ad Clementem VIII datis apparent, ſed quoque ex familiari cum BVFFALO congreſſu clariſſime elucent, facile colliget, quod plus cogitaverit, quam nudis verbis in hoc argumento expreſſerit. Quare PEREFIXE, ubi formulam transactionis inter papam & principes ſeptentrionales recitat, addit: *la formulaire eut ête avantageuſe au pape, en ce qu' ils l' euſſent reconnû pour premier prince de la Chretienté, quant au temporel, & en ce cas la lui euſſent rendû* TOUT RESPECT.

rum Hiſpano per Italiam detrahendarum, ſcilicet Apuliæ regnum, vano tantum hactenus clientelaris, ſive directi dominii titulo, laxe rebus *3. pontificis innexum, una cum aliis locis dominio eccleſiæ commode adiacentibus, pleno iure eccleſiæ patrimonio adſcribere meditabatur. Vt proinde, cum ſub ſpecie honoris, tum haud exigui lucri oſtentatione, beatiſſimus pater, ad adoptanda pia Henrici deſideria eo tempore alliceretur. Vnde cum Sullius certi negotii cauſa, eiusdem iuſſu Cardinalem BVFFALIVM adiret, atque inter colloquendum, quæ in illuſtrium virorum conſeſſu de patrimonio ſancti Petri, tam commoda & opima acceſſione augendo, intellexiſſet, ſermoni ſuo ſpecioſe immiſceret, ſimulque adderet, quod nunc hinc inde de papa potentiſſimis principibus adæquando, eiusque latifundiis circum circa, ita, ut nihil amplius, a non parum moleſto Hiſpanico vicino metuendum foret, proferendis, conſilia ſerio agitarentur: narratio hæc adeo iucunde afficiebat Cardinalem, ut, modo non delectationis tantum, atque animi cauſa, ſed ſerio & ex vero omnia a ſe dicta eſſe, Sullius aſſeverare vellet, ſuum ſingula, arcana circumſpectaque ratione, ad aures pontificis perferendi ſtudium ultro *4. polliceretur.

§. VII. Nihil itaque intentatum relinquebat Henricus, quo omnium populorum & principum, quos vel ſui favore, vel certe Auſtriacorum odio flagrare noverat, ſtudia animique affectus

*3. Transferamus huc quædam e colloquio Sullii cum BVFFALO: *êtant* (dicit Sullius *il n'ya pas dix jours en grande Compagnie, on y dit. beaucoup de choſes, en louange de Clement VIII. de vouloir toût contribuer, pour le rendre un de plus grands et puiſſants princes de la Chretiente, en le delivrant des oppreſſions Eſpagnoles et adjoignant a ſes Etats le Royaume de Naples et autres puces de la domination d' Eſpagne, qui lui ſeroient comodes. p. 668. t. III.*

*4. Imo Papam Henrici meditamenta approbaſſe rataque habuiſſe ex ABBATE SANCTI PETRI, PEREFIXIO &c. ſatis liquet: *il faut ſuppoſer* (inquit PEREFIXE p. 472.) *que le pape fut bien informé du deſſein du Roi, et qui le devoit aſſiſter de toute la force* item: *le Roi traita avec le pape qui approuvoit et louoit ſon entrepriſe, et deſiroit contribuer de ſa part tout ce qui lui ſeroit poſſible p. 466. ibid.*

ſectus exploraret, atque ſibi circa executionem ſyſtematis ſui conciliaret. Præter Sullium hominem rebus agendis natum, alii * 1. probatiſſimæ induſtriæ, magnæque perſpicaciæ viri conducebantur, ſub prætextu ſalutandi priſcos regis ſocios & amicos Galliæ revera autem, ut inter blandos ſermones, civilitatisque officia, cum eorum conſilia & in Auſtriacam gentem propenſiones, vel odia aſtute indagarent, tum, ut quid de futura rerum univerſi orbis Chriſtiani converſione, ab Henrico in medium producta cenſerent, curioſe, tecto tamen Henrici nomine & quaſi aliud agendo, perſcrutarentur. Ne autem opus tot excogitatum vigiliis, in exterorum aulis, vel indifferenter haberetur, vel plane ſperneretur, cognitis atque perſpectis principum ſententiis duo adhuc agenda reſtabant. Primo, ut legati Hiſpanis atque Auſtriacis cum ſuis conſiliis, ſtatim in ipſo orationis exordio ad inferos damnatis, viciſſim nullum commendationis genus circa perſonam Henrici, mentemque eius bonam & ſinceram omitterent, deinde, ut fructus uſumque operis aliquando confecti, vividis & nitidis coloribus depingerent, atque hac ratione cum Henricum, tum ipſius inſtituta ad cœlum usque *2. laudibus extollerent. Neque vero

---

*1. Huc refer *p. 271. t. VI. Sull. Le Roy envoya divers deputés Agents & Negotiateurs, pour viſiter ſes amis, par forme de civilité & de compliment, pour l' apparence &c.* Paulo poſtnominantur: *les Sieurs de* BOISSISSE, FRESNE, CANAIE, BAVGT, ANCEL, & BONGARS.

*2. Plane veterum poetarum de ſeculis Saturninis commenta artificioſæ commendationi inſeruntur, ita enim in *Extract. p. 263. d. t. VI. Sull. Mais comme la vraie vertu ne ſauroit jamais demeurer oiſive, auſſi at-il été impoſſible que toutes celles, tant excellentes, qui ont* ELEV LEVR DOMICILE AV COEVR DE CE GRAND ROI (HENRY) *lui puiſſent donner un parfait contentement, s' il ne rendoit tous ſes amis aliès & confederés, participans de ſa felicité, voire tous les autres potentats chretiens, qui temoigneroint de le deſirer, projetant s' ils le vouloient tous croire & l' imiter en moderation de ſes deſirs, de rendre leurs perſonnes, leurs Regnes & leurs peuples auſſi heureux riches & paiſibles, que les Ancies l' ont publié l' avoir été ceux du* SIECLE D' OR, *voire qae la verité mêmé, que le fut ſon Roi elû, pour être toujour au tems du quel l' or êtoit ſi commun, que l' argent n' êtoit plus eſtimé que les pierrés &c.*

vero negari poteſt, quin legati, utpote ad nutum domini ſui compoſiti, utroque demandato munere, ſtrenue defuncti ſint, atque tales ſe geſſerint, quales vel ſumma mittentis ambitio ſperare, aut expectare poterat. Adeo ut ipſis minime imputandum ſit, quod ſucceſſus intentioni non reſponderit, nec Henrici animi propoſitum metam contigerit optatam. Ceterum præter hactenus dicta, iuſſu regis Henrici, circa modum proponendi perorandique obſervanda, aliqua etiam ordinis ratio circa ſociorum aſſumtionem haberi debebat. Initium faciendum ſecundum SVLLIVM *3. a rebus publicis Hollandorum, ſeu Belgarum, Venetorum & Helvetorum. Poſtea reges ſeptentrionales Brittannus, Suecus, Danus adeundi videbantur. Neque temere, aut forte fortuna, hæ quaſi claſſes conſtituebantur, ſed ſatis prægnantes cauſæ ita iubebant, futurosque ſocios hoc ordine collocabant. Nam primo reſpublicæ, utpote ſtatui pacis plerumque deditæ, magis reſpiciunt ad conſilia ad pacem, atque unionem tendentia, quam Reges, qui regulariter ſe ad id faſtigii evectos credunt, ut vicinis formidini ſint, bella quærant, & in hunc uſum terribili cum pompa copiarum turmas ducant, atque reducant. Hæc enim ſumma votorum erat ipſius populi Dei, cum reges habendi deſiderio ureretur *Sam. I. VIII. 20.* Secundo apud proceres alicuius reipublicæ, cum nemo eorum ſuam fortunam, cum regis fortuna comparare poſſit, regium nomen, regumque rogationes maiori veneratione cultuque externo, quam apud alios reges, quippe quos æqualis eminentiæ cogitatio ad æmulationem, eundemque cum aliis regibus dignitatis gradum tuendum ſollicitat, excipiuntur, atque audiuntur. Accedebant impræſentiarum peculiares rationes. Etenim primo domus Auſtria-

*3 Rogavit Rex ipſe SVLLII ſententiam, quam dixit *p. 73. t V.* vel ut præ ſe fert ex mente Regis repetiit: *plus ces choſes premiſes ainſi bien acheminées, Vous êtes reſolu ſelon ce que j' ai pû comprendre dë vos intentions, de faire des amis allies et aſſocies & commencer par ceux, les quels y ont le plus de diſpoſition et de raiſons, pour n' avoir point d' interés contraires, dont les plus à propos vous ſemblent être les provinces unies de Pais bas, les Venitiens, et les ligues de Suiſſes et leurs allies.*

ſtriaca hanc rerumpublicarum trigam, quam partim priſco Romano Imperio ereptis ſpoliis, partim hereditati ad ſuam gentem quondam legitime pertinenti, detractis laciniis creviſſe opinabatur, parum benevolis oculis intuebatur. Deinde ſpeciatim * 4. Venetis Siciliæ regnum, Helvetis Burgundiæ comitatus & Valtelinum, Belgis Antwerpium, Bruga aliæque magnæ urbes, in præmium laborum pro Auſtriacorum oppreſſione, & futura unione promovenda ſuſcipiendorum oſtentabantur, addita prolixa æternæ libertatis, ſecuritatisque promiſſione. Igitur de rerumpublicarum fœdere, quod ad reliquos, ſive clam, ſive vi ad Henrici arbitrium componendos, apprime facere videbatur, ſatis apte in limine ſtatim cogitatum eſt.

§. VII. Hactenus de antecedentibus præparatoriis, diſpiciamus nunc de ipſo unionis ſyſtemate. Scilicet ſi contingeret, uti quidem Henricus cum Sullio ſuo ſibi mente conceperat, ut primo tres respublicæ, Belgæ, Helveti, atque Veneti ſe illi adiungerent, deinde per trium regum Septentrionis Britanni, Sueci, Danique acceſſionem ſocietas augeretur, mox Germani, ſub ſpecie, quaſi reges Franciæ imperium Romano-Germanicum olim condidiſſent, pariter Henrici votis obtemperarent, hos paulo poſt Hungari, Tranſylvani, & Bohemi, pro libertate, immunitate privilegiisque ſuis recuperandis, novum aſſertorem libertatis Henricum certatim ſecuti eſſent, tandem cum ſummi honoris, tum ampliſſimi quæſtus illecebris ineſcatus, beatiſſimus pater Papa, cum Italiæ principibus incomplementum beatitudinis totius confœderationis ſe comitem addidiſſet, atque his incrementis ſenſim * 1. amplificata ſocietas, futuræ unionis univerſalis Chriſtianorum quandam ſpeciem præberet: tunc totam tam auguſtæ ſplendidæque reipublicæ compagem ſequenti modo inſtruendam, ordinandamque

* 4. Hæc ſpoliorum diſtributio pluribus habetur *p. 391. ſq. Sull.*

* 1. Talis erat magnæ Henricianæ reipublicæ geneſis, ita veluti naſci, pubeſcere & tandem ad virilem ætatem pervenire debebat.

que fore. *2. Vt omnis chriſtianæ gentis, in quindecim civitates, ſibi invicem ratione potentiæ & amplitudinis fere æquales, accurateque ſuis limitibus, ne impoſterum lites de finibus regendis ſubnaſci quietemque publicam turbare poſſent, circumſcriptas, diviſio inſtitueretur. In numerum autem harum novarum civitatum: Pontificis dominium, Imperium noſtrum, Gallia, Hiſpania, magna Britannia, Hungaria, Bohemia, Polonia, Suecia, Dania, Sabaudia, ſive novum Lombardiæ regnum, Venetorum, Novaque alia, e diis minorum gentium in reliqua Italia conſcribenda reſpublica, Belgarum provinciæ, Helvetorumque diſtrictus, referrentur. Comprehendebat hoc modo diviſa Chriſtianorum ſocietas, quatuor reſpublicas, undecimque regna ſub ambitu ſuo. Inter illas duæ, Veneta & nova Italica reſpublica, Ariſtocratiis adſcribebantur, binis reliquis popularis gubernandi modus attribuebatur. In ſex regnis, Papatus, Germaniæ imperii, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ *3. & Bohemiæ, rerum ſumma per liberam electionem, in ceteris quinque per hereditariam ſucceſſionem deferebatur. Quo vero deſiderata ſingularum civitatum æqualitas obtineretur, Divi Petri patrimonio Apuliæ regnum, dominiumque directum in Siciliam, & novam rempublicam Italicam, Sabaudo Mediolanenſis ducatus addi, corpori Helvetico Burgundiæ, Tyrolenſisque comitatus, Alſatiæ Landgraviatus, terraque Tridentina inſeri, Belgarum reipublicæ vero ducatus Juliæ, Civiæ & Montium, comitatus itidem Marcanus cum Ravenſpergenſi, nec non dynaſtia Ravenſteinenſi, aliæque minoris pretii ditiones iungi, Hungaria, Tranſylvaniæ Valachiæ, atque Moldaviæ acceſſione ditari, Bohemia Sileſiæ, Moraviæ & Luſatiæ finibus contineri debebat. De Polonia benignius iudicabatur, huic enim omnes provinciæ, communibus Chriſtianorum armis a Turcico imperio

 avel-

*2. *Confer. hic. t. V. & VI. Sull.* atque in compendio PEREFIX *p. 466. ſequ.* item *tom III. Sull. p. 284. ſequ.*

*3. Horum reges eligi debebant a ſeptem Electoribus noviter excogitatis, qui erant 1) ordines utriusque regni 2) papa 3) Imperator, reges 4) Gallorum 5) Hiſpanorum 6) Anglorumque 7) Suecus, Danus, Polonus, non niſi coniunctim hoc ius exercebant.

avellendæ, in augmentum cedere, Venetis regnum Siciliæ, ſalvo tamen papali clientelari nexu, adiici, nova Italorum respublica e ducatibus Hertruriæ, Mantuæ, Parmenſi Placentino, Mutinenſi, Regienſi, principatibus Mirandulæ, Monacenſi, Plomio, Corregienſi, rebuspublicis Genuenſi atque Lucenſi, & ſi quæ alia, quæ nec papæ, nec Venetorum, nec Sabaudi imperio ceſſiſſent, componi, imperium autem Romanum Germanicum ſplendido clientum ſuorum apparatu, Belgarum & Helvetorum inanibus vaſallagiis accedentibus, nunc ſpecioſius inſtructo, ſolo externi honoris ſchemate ſibi ſatis placere iubebatur. *4. Francia, Britannia, Suecia, Dania priſtino ſuo iuri, confinioque relinquebantur. Hiſpania vero multis provinciis orbata, & quaſi truncata, intra Oceanum monteſque Pyrenæos, ſola forinſecus Sardinia, & Balearibus Inſulis, ex tot latifundiis, peculiari Gallorum beneficio ſibi retentis, pace tam care parta, utcunque frui, animoque cetera otioſo eſſe iubebatur.

§. VIII. Pluribus itaque videmus plura fuiſſe addita, nemini aliquid ademtum, niſi ſoli domui Auſtriacæ, hæc enim reliquis omnibus ſuo ære, commune ſympoſium ſola ex theſauris ſuis ſolvere debebat. Quo vero tam inuſitata liberalitas ipſi perſuaderetur, ſplendidam legationem, benedictione papæ, auctoritate regis Henrici, totiusque novæ reipublicæ Chriſtianæ * 1. iuſſu munitam, communi nomine adornandam & ad Imperatorem, Hiſpanorumque regem mittendam eſſe in medium

---

*4. Lex quoque Imperii Germanici inſuper perpetua eſſe iubebatur: *ne unquam mortuo parente, filio imperiale axioma deferretur, ſed ut hoc æterna viciſſitudine de familia principum Germaniæ in familiam migraret.*

*1. Multipliciter, ut ab iis, qui res magnas moliuntur fieri ſolet, iam ante confectionem fœderum ſuorum, Henricus internunciorum legatorumque induſtria uſus erat, ut, quo undique per Chriſtianum orbem, res loco eſſent, reſciſceret, ut *not. * 1. ad §. 6.* obſervatum. Sic BETHVNIVS ad curiam Romanam, BVLLIONIVS ad Venetos & Sabaudum, CALMARTINVS ad Helvetos & Griſones, SCHOMBERGIVS ad duces Saxoniæ, Bavariæ, Brunſvicenſes, Brandenburgicos & alios ordines Imperii, qui nondum partes Henrici diſerte amplexi erant, BONGARSIVS ad Hungaros,

Bo-

dium conſulebatur, quæ reiteratis precibus ſerio ab illis contenderet, & enixe peteret, 1) ut Imperator ocius citius manum admovere vellet ſanctioni pragmaticæ, de futura liberrima Imperatorum creatione, in hunc ſenſum, ne unquam duo Imperatores continua ſerie ex una domo eligerentur, condendæ, 2) ut Imperator adhibito regis Hiſpaniæ, tanquam agnati conſenſu Hungaria, Bohemia, Carinthiæ, Styria, Croatia, Carniola, Tyrolo, plane ipſa patria Auſtriæ provincia, imo omnibus ſuis per Germaniam & Italiam poſſeſſionibus, amore boni publici, in perpetuum ſe abdicaret, atque hæc omnia unionis diſpoſitioni, vel rectius decretorio Henrici arbitrio promte relinqueret. Sed cum Henricus, vel leviſſima meditatione adhibita, facile prævidere poſſet, quam moleſto orationis, rogationisque genere Auſtriacos ſollicitaret, quodque ad ſolas preces, quantamcunque civilitatis & blanditiarum ſpeciem præ ſe ferant, integra regna dare, vel reſignare, apud cordatos iamdiu ab uſu receſſerit: partim arte, partim Marte, verbis precariis pondus & efficaciam ſuperaddere ſtudebat. Quæ cum ulterius animo volueret, operæ pretium, rebus per unionis legatos minus proſpere forte ſuccedentibus ſibi facturus videbatur, ſi Pontificis auxilio uſus eo rem dirigeret, ut legatus *2. Apoſtolicus

tam

Bohemos & Tranſylvanos, BOISSIVS ad Suecum, Danum & accolas urbes maris Balthici, IOANNINVS ad Regem Angliæ, & Belgas & Clivenſem hereditatem petentes, ANCELLVS ad Imperatorem & Polonos, MONGLATVS ad Turcam, PREOLIVS ad Archiduces, legati ab Henrico deſtinati ſunt. Enimvero illa ipſa legatio, quæ tam dura ab Auſtriacis, inaudito hactenus inter gentes moratiores exemplo poſtulatura erat, merito ad illud tempus, quo futurorum fœderatorum aſſociatione, ad quævis audenda, inſtructum ſe iri Henricus ſperabat, reiiciebatur. De ipſo hoc argumento *vid. p. 75. t. V. p. 281. t. VI. Sull.*

*2. *Enfin.* (inquit PERFFIXE p. 477.) *par un* LEGAT APOSTOLIQVE *& par les remontrances de tous les aſſociés, il eut fait entendre ſon deſſein au Roi d' Eſpagne & aux princes de ſa maiſon & l' auroit conjuré par le* SANG. *de* IESVS CHRIST. *de l' avoir agreable.* Illud vero mirabile, quod tot egregiarum provinciarum, regnorum & plane ipſius Imperii abdicationem Auſtriacis honori atque emolumento fore, á Gallis contenderetur *v. p. 76. p. 78 t. V. Sull.*

tam difficili negotio interveniret, ut ita, quod communis Rhetoricæ floſculis ab Auſtriacis & Hiſpanis obtineri non poſſet, oratoria ſacra, pietatis, religionisque λόγοις καὶ πάθεσι in ſubſidium adhibitis ab iisdem impetraretur. Tandem vero, quod apprime ambitionis affectus ſuggerebat, vis & arma, diutius, & ut dominandi cupiditati videbatur, pertinacius, Auſtriacis ſuum tueri volentibus, initio eminus commonſtranda, ſed ultimo, & quidem ad ſuppetias ferendas tota Chriſtianorum ſocietate, (cuius non exiguam partem ſpes prædæ iamdiu ſubegerat) concitata, conſerta pugna plane inferenda erant, Henrico ita decernente. *3.

§. IX. Quo vero magis futura unio ad genuinæ atque durabilis reipublicæ normam componeretur, & utrique tempori cum belli, tum pacis rite proſpiceretur, varia in communem illius uſum collegia, nec non modum contribuendi, mittendarumque copiarum auxiliatricum, in futurum uſum Henricus cum adminiſtris definiebat & excogitabat. Collegia volebat eſſe ſeptem. *1. Primum generale & omnibus provinciis commune, reliqua ſpecialia eſſe debebant. Ad primum pertinebat, ea, quæ in univerſum toti unioni forte proponerentur, audire atque examinare, cauſas per appellationem ab inferioribus collegiis eo devolutas cognoſcere, de bellicis aliisque magni momenti negotiis, totam unionem tangentibus ſtatuere. Sedes ipſi deſtinabantur urbes media in Europa ſitæ METIS, LVCEBVRGVM, COLONIA, MOGVNTIVM, AVGVSTA TREVIRORVM, FRANCOFVRTVM &c. Numerus aſſeſſorum quadragenarius ſufficere videbatur, Papæ, Imperatori, Galliæ, Hiſpaniæ atque magnæ Britanniæ regibus, ut ſinguli quatuor eligere poſſent, facultate relicta. Inter collegia ſpecialia primum Gedani in uſum

---

*3. Locum *ex Sull. adverſar.* iam ſupra **6. ad §. 5* recitavimus, eratque Auſtriacorum expilatio primarius totius inſtituti Henrici ſcopus: *La gloire (dicit Sull p. 396. t. VI.) du Roi ne tend, qu' a delivrer tous les potentats de la Chretienté de la terreur des armes & domination d'* ESPAGNE. Ex vero itaque PEREFIXE *p. 472. on avoit fait le project, de porter la maiſon d' Autriche à y conſentir* DE GRE OV DE FORCE.

*1. Collegiorum deſcriptionem habes *p. 319. ſequ. t. VI. Collect. Sull.*

uſum Succorum, Danorum & Polonorum, ſecundum; Norimbergæ in uſum Imperii Germanici, tertium Viennæ in gratiam Bohemorum, Auſtriacorum & Hungarorum, quartum Bononiæ pro papa & Venetis, quintum Conſtantiæ, in gratiam novi regni Langobardici, Mantuani Ducatus & Helvetiæ cum ſuis acceſſionibus, reſidere debebant, ſextum deſtinabatur cauſis Gallorum, Britannorum, Hiſpanorum, Belgarum, ſede ipſius communi horum omnium ſuffragio definienda. Porro ad uſum *2. belli Henricus deſtinaverat tres Capitaneos ſummos, duos pro milite terreſtri, tertium ad navium claſſes gubernandas. Operam inter ſe iungere debebant ad Turcam oppugnandum. Exercitus terreſtris conſtare debebat bis centum & ſexaginta quinque millibus pedeſtribus, & quinquaginta mille equitibus. Tormentorum bellicorum erant bis centum & ſeptendecim. Claſſis in hac futura unione, componebatur, centum & ſeptendecim navibus maioribus & triremibus, exceptis navibus incendiariis & ad onera ferenda deſtinatis. Modus contribuendi copiasque mittendi paulo prolixior ex SVLLII *tom. V.* diſci poteſt. Nomen reipublicæ futurum erat: RESPVBL. CHRISTIANISSIMA. Titulus Henrici autem: PROTECTOR & DEFENSOR *omnis legitimæ libertatis, vel per diuturnitatem temporis legitimatæ.* Sed ita tantum in ſpeciem, revera enim Henricus rerum ſummam, totius unionis, non tantum ordinationem & conſtitutionem ab initio, verum & moderamen & directionem in progreſſu, ubique ſibi, reliquis operas præſtandi, ſuisque conſiliis & decretis obſequendi gloriam deſtinabat. Ceu facile patebit ingenium Henrici & Gallorum ſermones iſtius ævi meditanti. *3.

 §. X.

*2. Apparatus utriusque militiæ terreſtris & maritimæ prolixe recenſetur *tom. eodem p. 322. ſequ.*

*3 Henricus adhærentes valde amabat, ipſe autem nemini adhærere volebat, uti de ipſius anteceſſoribus quoque refertur in colloquio SVLLII cum BVLLIONIO: *Il y avoit deux factions en la Chretienté, ſous le titre de Françoiſe & d' Eſpagnole, les Rois de France ne vouloient pas ſeulement ſe ranger en la premiere faction, mais auſſi de s' en dire* CHEFS *de*

§. X. Reſtat ut nunc coronidis loco, breviter indicemus, quæ circa hoc magnum & quondam tantum non apud omnes gentes celebratiſſimum inſtitutum, monenda eſſe putemus. Quod facturi ſumus libero quidem, ſed non acerbo, nec privatum hominem, ubi de rebus magnorum regum, quorum ad cenſum citra controverſiam Henricus ſpectabat, agitur, non decente ſtylo, verum unice in modum dubiorum reverenter admodum & modeſte proponendorum. Alias ſatis gnari, quanta cum verborum licentia, gravique decreto notanda irreverentia, quidam ex Gallis magno Henrico fatis decendente, in hoc argumento verſaverint, *1. & quam probroſis cognomini-

de ſe faire de partiſans en Allemagne, pour conſerver l' independance de leurs couronne & n' étre pas obligé de ſe reduire dans l' autre faction comme des SIMPLES ADHERANS. Ipſe Henricus circa totum unionis opus, ita conſiliorum ſuorum rationes ſe iniiſſe putabat, ut reliqui eadem vellent, nollent, ſequi tenerentur, ut iam ex PEREFIX. *p.* 472. allegavimus. Neque vero indifferens, aut liberum unicuique erat unionem amplecti, vel reiicere, ſed decretum erat, ut ex quo ſemel per vicinorum confœderationes potentia Galliæ augeretur, renitentibus, ut pariter unionis caſtra ſequerentur, vis & arma oſtendi deberent. Imo ſi forte credebatur hunc, aut illum principem Auſtriacorum partes non eſſe otius citius abiecturum, ſtatim minis omnia perſonabant: *notre grand Roi les rangera* item: *de la perſonne du Roi & de ſes armes dependent toutes les plus effacieuſes factions guerrieres.* Reliqua regis elogia addebantur: *le plus grand capitain de la Chretientè.* Imo: LE SEUL CONSIDERABLE *dans la Chretienté* SULL. *t. V. p.* 434. Plane, quæ conditio, fœderatorum futura a curia Galliæ deſiderabatur, ſatis perſpicue intelligi poteſt ex querela, quam Sullius de Belgis ad nutum Henrici non ubique obtemperantibus movet: *qu' ils n' avoient pas porté aſſes de* RESPECT *à ſa Majeſté & reſolu pluſieurs choſes non ſeulement ſans l' en advertir, mais encore contre ſes conſeils & advis, lesquels ils devoient ecrire, comme il eſt comandé de la loi divine, ſur leurs fronts, ſur leurs mains & ſur les ſeuils de leurs portes, afin de les mediter jour & nuit, & ne rien faire ſans iceux vid liter.* SULL. *ad regem p.* 433. *t. III.*

*1. Mortuo Henrico hæc facies rerum in Gallia erat, ut a *Collector. Chart. Sull. t. VI. p.* 342. depingitur: *ceux qui avoient apreſent empieté l' autorité, ne parloient de Henry, qu' avec mepris, riſées, appellans ſes deſſeins des chimeres, & des fantomes & ſes prudences, reſpects & moderations, des lachetés foibleſſes & apprehenſions.*

minibus unionis conſilium oneraverint, merito ab aliis eapropter ſatis depexi mulctatique. Scilicet initio nobis ſtatim ſe ſuggerit hæc obſervatio, quod rebus Imperii noſtri non expedierit huius unionis ſyſtema, ſi eius ichnographiam primasque veluti lineas, ad quarum ductum extruendum erat, paulisper cum cura intueamur. Nam primo Henricus res Galliæ optime *2. inſtruxerat commerciis, militibus, armis & pecunia, & quidem adeo, ut nullius vicini potentia, ſi ſola in ſe ſpectabatur, vires ſuas comparare poſſet, cum viribus regni Gallicani. Deinde huic eidem potentiæ, per tot cum variis rebuspublicis aliis, initas confœderationes, factionesque *3. contra omnes, qui una cum Henrico non faciebant, undique comparatas, haud exiguum robur accedebat. Tertio hoc validiſſimum regni corpus, per leges ipſius unionis, nulla ſui parte mutilari, ſed ſalvum & integrum in perpetuum conſiſtere debebat. Quarto, ut iam aliquatenus docuimus Henrico, tanquam valde potenti non tantum unionis in genere *4. ſupremum arbitrium arrogabatur; ſed etiam quinto ipſius unionis iure, rebus Imperii, Hungaricis, Bohemicis, Helveticis atque Belgicis, & quidem ubi de cauſis præcipuis quæſtio foret *5. ſe

---

*2. De fortunato Gallorum ſtatu ſub Henrico IV. de numeroſo eius milite, magnaque vi pecuniæ *vid. tom. VI. Sull. p. 412. Somme totale de l' argent comtant XXXVI. millions, 658000. livres*, item: *Etat abregé, que le Roi a veu tout du long, & en a voulu avoir une copie & divers avis & moyens; des quels ſa Maieſté ſe pourra ſervir en cas de beſoin & dont etants êtablis a propos & bien menagés, il reviendra plus de cent millions d' or p. 371. d. l. ſes forces etoient grandes en nombre, mais dix fois plus en valeur, etant tous hommes choiſis & parmy cela y ayant quatre mille Gentils hommes capables de tout a la veue de leurs Roi.* PEREFIXE *p. 481.*

*3 *Tellement* (*ita Collect. chart. Sull. t. VI. p. 364.*) *que la faction françoiſe bruyoit & brilloit de toutes parts, & celle d' Eſpagne trembloit, & n' avoit aucune eſperance, qu' en machinant des choſes horribles.*

*4. Quod evidenter demonſtrant, hactenus dicta & ex hiſtoria allata.

*5. Sic Germaniæ principes, Bohemiæ, Hungariæ proceres &c. pro libertate ſua per Gallos impetranda, ſæpius ex mente *Collector. Chart. Sull.* iuben-

ſe immiſcendi, deque illis ſuffragium ferendi, poteſtas fiebat. Viciſſim ſeptimo imperium per excluſionem inclytæ domus Auſtriacæ, quidpe quæ, cum eius oneribus ferendis, tum ſplendori conſervando, propter tot, quæ poſſidet propria latifundia, præ ceteris ſufficere poteſt: potiſſimo ſuo fulcro, præcipuaque ſua columna privabatur. Octavo axioma Cæſareum, quod nunc ambulatorium munus effectum de gente in gentem tranſire debebat, non tantum multum de ſua veneratione *6. remiſſurum, ſed quoque inter futuros Electores & Candidatos, nonniſi rixas, iurgia, atque diſſidia, non ſine maximo periculo pariturum, & tandem deficientibus neceſſariis ſubſidiis rerumque gerendarum nervo, quippe a minus validis, quos forte electionis ſeries tangere poterat, non ſperando, plane conciſurum videbatur. *7.

§. XI.

iubentur: *de faire une tres* HVMBLE SVPPLIQVE, *de preſenter une Requete* AV ROI *de vouloir, joindre ſon autorité &c.* Sic Henricus locum ſibi deſtinaverat inter Electores Regum Bohemiæ & Hungariæ. Sic renovatio nexus clientelaris Belgarum & Helvetorum, qua Imperatori talem, qualem Henricus volebat, fidem ſponſuri erant, ſemper fieri debebat, in præſentia eius legatorum. Qua ratione ſane, negotii unionis ſuccedente effectum fuiſſet, ut Galli amplam occaſionem, circa res Germanorum publicas crebrius curioſitatem exercendi impetraſſent. Imperatori autem, non tantum omnis probabilis prætextus, viciſſim rationes Gallorum aliquatenus ſupputandi, præſciſſus: verum plane circa res ſuas interdum peregrinus periculoſus adiutor metuendus fuiſſet.

*6. Nec enim illud, ad quod pluribus, vel omnibus adſpirandi ſpes eſt, tanti a ſingulis æſtimatur, quam quod tam paucis deferri ſolet. Certe quod Imperium ambulatorium habere non expediat, ipſi ſapientiſſimi Electores Imperii per electiones ſuas ſatis teſtati ſunt.

*7. Nec eſt, quod quis excipiat 1) Imperatoris dignitati, per ipſam unionem quidpe ſecundum quam, vi cardinalis principum Chriſtianorum in quindecim civitates diviſionis, ſtatim primo poſt papam loco poſitus, omnes principes ſeculares præcedere debebat, abunde proſpectum fuiſſe, 2) neque turbas circa futuras electiones adeo metui potuiſſe, cum collegia ſtatus, cum generale, tum germanicum ſpeciale, facile terminaſſent obortas controverſias. Nam 1) ſolus locus, ni vires, poſſeſſiones,

pro-

§. XI. Vlterius non unæ rationes quoque unioni, ſive ſocietati Chriſtianarum gentium rite colligendæ, atque coadunandæ obſtabant. Primo illam præcedere debebat domus Auſtriacæ e Germania exulatio, eiusque cum agnato Hiſpano, intra ſolum Hiſpaniæ confinium incluſio. Sed quantæ molis opus! quam cruento quam diuturno bello, quanta provinciarum devaſtatione, quot urbium incendio, quot innocentum ad incitas redactione, quot

 illu-

propriæque divitiæ lucem ſimul affundant, dignitates ſummorum imperantium parum colluſtrat. Atqui illæ vires, poſſeſſiones, atque Auſtriacorum divitiæ, quæ hactenus Aquilam Imperii ornarant, ex lege fundamentali unionis diſſipandæ, adeoque præcipuæ pennæ, iovis aliti evellendæ erant, ipſique deinde deplumi, inſtar miſeræ Noachi columbæ hinc inde per incertas ſedes volitandum, & fatalis incerta quies quærenda erat. 2) Præterea quoque valde dubium eſt, an a collegiis ſat firmum adverſus electionum diſſenſiones præſidium digue ſperare licuiſſet. Initio enim, quod collegium ſpeciale attinet, v. l cameræ Imperialis exemplo incontinenti doceri poteſt, quam lenta medicina malis e ſummorum Germaniæ principum diſſidiis oriundis promte, atque funditus tollendis, inde expectanda fuiſſet. Dein non tantum facile contingere potuiſſet, ut nec collegium generale ſæpius ſatis aliunde occupatum, tantos fluctus cito compoſuiſſet, ſed nec illud forte e dignitate Imperii fuiſſet, decretoriam in ea ſpecie, ubi de rerum ſumma controvertebatur, ſententiam a collegio, maximam partem extraneo, accipere. Vt 3) nihil dicam de inſigni illa Imperii diminutione, quam unionis ſyſtema, tam per integræ Bohemiæ ab eius nexu exemtionem, avulſionemque reliquarum Auſtriacarum provinciarum, Helvetorum corpori adiudicandarum, quam per ſubtractionem potentum Juliæ, Cliviæ, Montiumque Ducatuum, qui cum annexis ſuis, nec non notabili Weſtphaliæ parte, Belgarum cataſtris inſerendi erant, apertiſſime minabatur. Imo 4) quis adeo hebetis iudicii obtuſique ingenii eſt, ut ſuffragandi poteſtatem, quam Henricus circa regnorum partim in Germaniæ ſinu, uti Bohemici, partim ante Germaniæ portas, ut Hungarici ſitorum, reges eligendos, ſibi reſervaverat, patriæ ſemper proficuam futuram fuiſſe credat, aut iuris, quod idem Henricus de nexu feudali Belgarum, & Helvetorum, non niſi ipſius interventu coram quolibet recenti imperatore renovandi, ſibi per pacta unionis ſtipulatus erat, prætextum, nunquam in occaſionem Cæſari, aut Imperio ægre faciendum pertrahendum fuiſſe, ſibi animitus perſuadeat. Tandem 5) illud quoque non

ſatis

illuſtrium familiarum excidio, plane, quot myriadum cæde quæſo non conſtitiſſet. Quam, ſi etiam (quod tamen Deus, qui Auſtriacorum clementiam, & pietatem ubique reſpectavit, atque tutatus eſt, nunquam permiſiſſet) ſucceſſiſſet, memoriam apud bonos relicturum erat? An aliam, quam qualem LVCANVS deſcribit:

Cœptus ſanguis facinusque peractum
Nec iam opus eſt furiis tantum mirantur & adſtant
Laudantes, hominumque dolent plus poſſe furores.

An hæc chriſtianiſſimæ ſocietatis initiamenta, an tam cruentis ſacrificiis prima unionis chriſtianorum auſpicia conſecranda? Numne falſum eſt SENECAE dictum: *non eſt quod credas, quemque fieri aliena infelicitate felicem.* Annon Germaniam ſuorum ſanguine madefactam, & in proprium caput ſævire coactam, eadem aliquando poſt eiectam, tam bene de ſe meritam gentem Auſtriacam, probabiliter ſubiiſſet pœnitentiæ cogitatio, quæ olim Iſraelitas, cum ſtirpem Beniamiticam prope

ſatis cum protectoris germanicæque nationi bene cupientis defenſoris titulo, quem Henricus ſibi tribuerat, convenit, quod ex tam opimis, quæ glorioſæ Auſtriacorum Genti detrahere mente conceperat ſpoliis, nihil in Imperium, Imperiique principes, licet ab initio aliter præ ſe ferre viderentur prima unionis blandimenta, redundare, ſed omnia partim novum & a rationibus imperii ſeparatum Bohemicum regnum conſtituere, partim corroborandis ac magis convalidandis Helvetorum & Belgarum novis rebuspublicis inſervire debebant. Quod inſtitutum, an omnibus proceribus Germaniæ, an omni tempore, ſe ſolo unionis favore commendaturum fuiſſet, facile iudicari poteſt. Serius certe multi cum phrygibus ſapere & magno ſuo damno intelligere didiciſſent, quantam Germanorum res cladem, quantam libertas, ipſaque ſalus imperii publica ſtragem, remota inclyta ſtirpe Auſtriaca ab Imperii clavo, quem tam glorioſe per tot ſecula gubernaverat, tam ſtrenue & ſapienter medias inter procellas, turbines, tempeſtates, & hoſtium undique ingruentium impetus, rectum tenuerat, paſſuræ fuiſſent. Nec enim credibile eſt unionem ſemper in ſuo æquilibrio ſubſtitiſſe, aut potentiores ſemper ſua ſorte, contentos, terminos ſemel deſcriptos nunquam moturos, nec unquam ab unione receſſuros, nec quoque ipſa unione in ſpeciem adhuc durante, factionibus ſuis ſuffultos, dominatum in vicinos affectaturos fuiſſe.

pe exterminaſſent: *veneruntque inquit ſacer codex omnes quoque filii Iſrael ad domum Dei in Maspah & in conſpectu eius ſedentes usque ad veſperam levaverunt vocem & cœperunt flere dicentes: Quare Domine Deus Iſrael factum eſt, ut hodie una tribus auferretur ex nobis.* Deinde in hac una ſocietate communis arca, communis exercitus, ſtatus conſilia communia, ſupremum rerum arbitrium apud ſenatum communem eſſe, imo in quibusdam regnis, ut Hungaria & Bohemia, ipſum reges eligendi ius cum aliis commune fieri, omniaque ad univerſæ ſocietatis utilitatem communem referri debebant. Enim vero, qui hominum ingenia novit, ſatis ſcit, quod nativæ illorum inclinationes non propendeant ad communionem, ſed potius eo, ut ſoli poſſideant, quod amant, aut in pretio habent. MODO IPSIS OPTIO DETVR, vel in communione, ſive aliorum ſocietate, ſecundum communia conſilia poſſeſſiones ſuas habendi, adminiſtrandi, & alienandi, vel eadem bona, ut propria ſibi ſoli poſſidendi, atque ſolo proprio arbitrio de illis ſtatuendi. Probant id ſinguli affectus, qui in totum humanum genus dominantur, ſane ambitio non honores, ſi fieri poteſt, cum aliis ſibi communes, ſed proprios & ad ſe tantum ſpectantes, quærit. Imo indignatur, atque ſuccenſet, ſi ſoli gloriam conſequi non licet, ſi non niſi inter alios laudatur, ſi non datur occaſio, extra aliorum commercium, ſine ſociorum auxilio, magno ſplendidoque quodam facinore inclareſcendi. Nec aliud conſilium voluptati, licet enim hæc ſodalitia aliorum amet, nec libenter in ſolitudine agat, nihilominus, Thaidum atque Laidum, ſi quas præcipue diligit, ſtultis & amentibus commerciis ſola uti, fruique primis in deliciis habet, tantoque ſuaviores & iucundiores amplexus eſſe credit, quanto magis in ardentioris amoris ſignum, ſibi ſoli patent, atque uni reſervantur. Idem adhuc multo magis de avaritia dicendum, quidpe cui ipſa prima proprietatum introductio, atque primævæ communionis ſublatio præ ceteris debetur, quæque invidiam, ſocios & conſortes circa bona ſua admittere neſciam, perpetuam comitem ſibi addidit. Suffragantur

gantur porro dictis noſtris vulgaria proverbia, vulgique vota, SVVM, NON COMMVNE, cuique pulchrum dicitur. Et quivis rebus ædibusque hæreditariis communibus adhuc, tum demum magnam pecuniæ ſummam, ornatus cauſa erogandam, deſtinare ſolet, ſi antea contingat, ut iudicio familiæ herciſcundæ inſtituto, ipſius ſolius dominio ſubiiciantur & addicantur. Nemo alterius, quo nomine & ſocius, intelligitur, eſſe cupit, QVAMDIV SVVS & rerum ſuarum moderator & arbiter VNVS eſſe poteſt. Neque vero principum animi aliter comparati ſunt, niſi quod tanto conſpectius, illorum affectus ſe exerant, quanto maiora ipſis, quam privatorum cupiditatibus, irritamenta occurrunt, quantoque maior agendi opportunitas eisdem, quam inferioris ſortis hominum deſideriis, quotidie affulget. Hi non ſervorum familiam, villas, prædia, agros, & vulgaria rerum iura ſoli habere, atque tenere exoptant, ſed integras gentium nationes, vaſtiſſima regna, ſummorum lateque patentium imperiorum iura, aliis excluſis, vel ſi poſſibile, plane infra ſe eſſe iuſſis, ſuæ proprietatis dominio addicere cupiunt, & ſummopere deſiderant. Quamvis non negandum ſit, quod inter principes etiam, hæc deſideria atque vota valeant, quantum poſſint. Omnia enim dependent a mutabili rerum humanarum conditione, præſentique neceſſitate, quæ uti ſæpe ſuadet, ut non illud emamus, quod opus, ſed quod neceſſarium: ita quoque ſæpe in communionem conſentire cogit, ubi de integra proprietate impetranda ſpes decollaverit, ſæpe aliis adhærere iubet, ubi virium imbecillitas, ſeparatam œconomiam inſtituere vetat. Vnde cum illæ civitates, quas Henricus in unam rempublicam congregare, unique magno ſenatui quadantenus ſubmittere, atque hinc inde alieno arbitrio ſubdere cogitabat: vel ſibi iam ſolæ ad finem civitatis, felicitatemque civilem obtinendam, vel paucis vicinis in æquale fœdus aſſumtis, ſufficerent, non adeo probabile videtur, quod illas usque eo ſuæ conditionis tæduiſſet, ut tanti alias a quovis æſtimatum, ipſisque ſingularibus competens ſupremum rerum ſuarum arbitrium, tam liberaliter cum aliis communi-

cas-

caſſent, & ſe tam promte ad aliorum autoritates, aut plane ſenatusconſulta ſequenda accommodaſſent. Nominatim ſummis principibus moleſtum utique accidiſſet, quod quam hactenus ſeparatim & ſecundum propria animi decreta partim vi, partim conſilio agendo, amplam & ad ſe tantum pertinentem laudem, famam, atque auctoritatem acquirere poterant: rerum ſumma, nunc magna ex parte, in ſenatum collata, in alios tranſcribere deberent. Vt proinde a ſenatorum privatæ conditionis hominum dictis & præſcriptis, non ſine gentis ſuæ, ſuorumque avorum glorioſiſſimorum dedecore, ſecundum novorum unioniſtarum principia, pendere viderentur. Neque vero leviter, ut valde veroſimile eſt, viri nobiles cum ſuis familiis, huius inſtituti perfectioni, contradixiſſent. Nam hi non tantum præ ceteris arma tractant, ſed in bellis etiam ad ſummas dignitates aſcendunt, conſiliisque bellicis, vel aſſidere, vel præſidere iubentur, ut omnino illorum interſit, præſenti ſtatu conſervato, cuilibet principi ius belli integrum relinquere, ipſisque nobilibus tam illuſtrem per militiam emergendi viam non obſerare. His ſine dubio ſe adiunxiſſent comites, præter gregarios milites, omnes homines reliqui, ad quos ex bellico apparatu aliquis quæſtus redundare ſolet. Auxiſſent præterea unionis difficultates tot diverſarum nationum diverſa ingenia, mores, modique agendi diverſi, rationes ſtatus rerumpublicarum ſuarum, vel ſeparatæ, vel plane contrariæ ſibique oppoſitæ. Et quas quæſo, tot quæſtionum de futuris collegiis, illorumque poteſtate, præcipue de poteſtatis collegii ſummi, & imperii ſingulorum Imperantium limitibus, de medio expediendi rem in utriusque diſſenſu, de modo contribuendi, de exercitu ducendo, de finibus quindecim novarum rerumpublicarum exacte definiendis, de modo inter omnes civitates communicandi, de viſitationibus & aliis pluribus oriundarum, deciſio, moras non obieciſſet, non absque inſigni totius unionis formandæ impedimento & in infinitum protractione. Accedit quod nec noſtra, nec patrum memoria eiusmodi omnium Chriſtianorum unio ſive ſocietas extiterit, ut proinde

I 3 iſtis,

iſtis, quibus forte iam in medium allata argumenta, ad dubiam reddendam talis inſtituti exiſtentiam ſufficere non videntur, ſecure experientiam obiicere, & donec eandem per contrariam experientiam refutent, ſat diu otioſi eſſe queamus.

§. XII. Imo quaſi per impoſſibile demus, unionem pro *actu*, ut loquimur ſumtam prævalentibus Henrici & aſſeclarum copiis, conſiliisque aſtutis, obtentam fuiſſe, valde tamen dubium reſtat, an etiam pro *ſtatu*, durabilique ſocietate accepta perſtitiſſet. Nam initio commune proverbium eſt, quod communia a plerisque negligantur. Quilibet ſocius regulariter in communi ſocietate mavult experiri alterius diligentiam, communisque commodi curam, quam paulisper poſthabitis propriis negotiis, ipſe circa communia induſtriam exercere, operique manum admovere. Qui nævus ſane ſine dubio quoque noſtræ ſocietati, atque unioni adhæſiſſet, eiusque conſervationem multum impediiſſet. Imo accedunt ſpeciales cauſæ, quæ præ cœteris eidem finem acceleraſſent. Etenim primo, primum ſe unientium, vel unire cupientium incitamentum apud plures erat affectus odii, Gallorum ſtudiis contra domum Auſtriacam vehementiſſime excitati, partim ſpes libertatis, aut prædæ. Sed quam facile accidit, ut talis affectus iterum ſedetur, imprimis, ſi deinde odio aliquo abreptus videt, (prout hic citra controverſiam ſucceſſu temporis in facto contigiſſet) quod per odii executionem res quidem mutentur, ſed non in melius ubique emendentur, nec nova reipublicæ forma veteri præſtet. Quodque omnis imperandi parendique ratio ſua commoda & incommoda habeat. Deinceps ſpes prædæ inter æmulos adhuc incerta erat, & apud alios invidiam paritura. Vlterius ipſa etiam libertas, quam v. c. Hungari, Bohemique ſibi propoſuerant, ſatis & quidem in capitali electionis regum negotio conciſa, perque peregrina vota circumſcripta erat; ita, ut multa agendo hæc duo regna pauca conſecuta fuiſſent. Porro non exigua ſemina contentionum & æmulationum, in ipſa quaſi conceptione, unioni inſerebantur. Sic Polonis ſolis accedere debebant acquæſtus provinciarum Turcæ eripiendarum.

Sic

Sic Suecorum, Danorumque Regum deterior erat, quam v. c. Galli & Hiſpani, circa conſtituendos aſſeſſores magni Synedrii conditio, cum illi ſinguli quatuor, hi forte iunctim quatuor nominarent. Sic Dani, Poloniquc reges ſibi eligere poterant, Hungari autem Bohemique gaudere debebant, regibus aliunde datis. Sic Helvetis citra meritum inſignia ſpolia deſtinabantur, ut illi de ſatis pingui lucro, & imperium de ſatis gravi damno aliquando concertaturi viderentur. An illud etiam conſilium, quod Henricus animo volvebat, ut papam ſupra omnes *1. reges exaltaret, & quaſi caput unionis conſtitueret, nihil incommodi attuliſſet, nec curiæ Romanæ turbas hinc inde ciendi occaſionem dediſſet, docuiſſet omnes famoſa rerum magiſtra experientia. Quæ eadem quoque comprobaſſet, quod civitatum rectores certo aliquando unionis tædium, *2. & ambitioſa priſtini ſingularis imperii cogitatio vexaſſet, quæ duo ſola toti operoſo inſtituto evertendo abunde ſuffeciſſent.

§. XIII. Sed cùm Abbas Sancti Petri ſyſtema unionis denuo in ſcenam productum, mutaverit, quaſique novo indumento exornatum, non tantum omnibus, per Europam habitantibus Chriſtianis, verum etiam Turcarum Monarchæ & Barbariæ dominatoribus commendaverit, conſequens eſt, ut & ſub hac nova ſpecie idem denuo exhibeamus atque inſpiciamus. Conſtat ex huius mente futura pacifica ſocietas e XXVII. membris, ſalvo iure addendi Chamum Tartariæ. Ordo ſubſcribendi nomenque profitendi eſt 1) Regnum Galliæ 2) Hiſpania 3) Magna Britannia 4) Belgium 5) Portugallia 6) Bavaria 7) Hel-

---

*1. *vid tom. V. p. 65. Sully* en elevant ſon authorité pontificale au ſouverain degré ſur tous Roys, princes, republiques & peuples catholiques & accroiſſant de beaucoup ſa domination temporelle. Poſſes etiam dicere Henricum his lenociniis mulcere voluiſſe papam, ſibique placare, ut deinde in eius conſortio, univerſo Chriſtianiſmo imperaret. Sed iam ante Henricum alios principes Romanorumque Cæſares eiusmodi cautiones fefellerunt. Vt notum.

*2. Tempora dici ſolet mutantur & nos in ipſis mutamur. Hoc ævum fert imperatores pacificos, illud bellicoſos. Quod anteceſſori mire placuit ſucceſſori diſplicet.

7) Helvetia 8) Hetruria cum aſſeclis 9) Genua Luca cum quibusdam Italiæ principibus 10) Papa 11) Veneti 12) Sabaudia 13) Lotharingia 14) Dania 15) Electores eccleſiaſtici cum quibusdam civitatibus imperii 16) Palatinus cum nonnullis principibus 17) Elector Brunſuico-Luneburgicus additis quibusdam principibus & civitatibus, 18) Elector Saxoniæ 19) Elector Brandenburgicus 20) Curlandia 21) Auſtria cum Bohemia & Hungaria ſua 22) Polonia 23) Turcia 24) Ruſſia 25) Suecia 26) Marociæ imperium 27) Barbaria. Summa conventionis capita ſunt 1) ad pacem in perpetuum inconcuſſe ſervandam fiat unio inter omnes ſummos Europæ Imperantes, aſſumtis in ſocietatem Czario, Turca, Barbariæque dominatoribus. Quem in finem, congregati illorum legati, conſenſerunt in has leges atque conditiones. Initio regna omnia, omnesque respublicæ modum cum imperandi, tum ad imperium perveniendi, hactenus ſemel receptum conſervare, ipſis imperantibus iura ſua circa leges condendas, & curam religionis, ſalva & integra manere, pacta conventa in regnis electitiis immutata perſiſtere, atque hæc omnia pro maiori ſecuritate unionis auctoritate confirmari & corroborari debent. Hoc unico, communi ſummo unionis conſilio, in ſingulis XXVII. civitatibus reſervato, ut pacis univerſalis curam ubique habeat, & ne arma uſſibi, niſi ad bellum adverſus eum, qui communi ſenatus conſulto hoſtis haberi iuſſus eſt, capeſſantur, aut milites conſcribantur, ſedulo provideat. 2) Nulli civitati aliquid addatur, vel dematur, nec binæ ſub quacunque ſpecie iungantur. Acquæſtus ad condendam novam civitatem ſeponantur. Omnibus mutuis petitionibus, imo & titulorum circa non poſſeſſa uſui, per ipſam unionis ſubſcriptionem in æternum renuncietur. Paucis: *uti quilibet hactenus tam in ſuo, quam in alieno poſſedit, ita impoſterum poſſideat.* 3) Vnio operam det, ut ſi principes quidam, vel propter ætatis, vel aliam imbecillitatem ipſi rebus ſuis ſatis ſupereſſe forte non poſſint, integro hoc tempore illorum perſonis, iuribus atque facultatibus, tam contra malorum veneficia, & ſeditiones factioſorum, quam aggreſſiones hoſtium,

ſatis

ſatis bene valideque proſpiciatur. Miſſis, ſi rumor aut fama increbeſcens, aliquid ſiniſtri ſuſpicari iubeat, mature iudicibus delegatis, qui in prava molimina inquirant, & poſt inquiſitionem, eadem ex debito puniant, & coerceant. 4) Caveant ſingula membra, ne ſine conſenſu trium quartarum aſſeſſorum ſenatus, inter ſe in quædam pacta ſingularia arcane & extra communem curiam conveniant. Alias enim, uti unio pactorum a ſe confirmatorum, nunquam defugiet auctoritatem, ita de illis, qui clanculum factiones machinantur, tanquam de publicis hoſtibus ſtatuet 5) Commercia exerceantur, uti ante ultimum bellum. Si quid aliquibus videatur circa illa innovandum, id non aliter tentetur, quam ex æquo & bono, nec non ſupremo ſenatu, ut in præcedenti capite, ſuffragante 6) Arma, niſi contra hoſtem, quieſcant. Quod ſi quædam civitas ægre ſibi fieri credat, rem porrecto ſupplici ſummo ſenatui libello denunciet, atque vel compoſitionem amicam, vel laudum ſecundum pluralitatem votorum, decenter expectet. Ceterum in eum, qui mandatis, aut pronuntiatis unionis parere recuſat, vel bellum ſenatu non conſulto ſuſcipit, vel unionem plane acceptare detrectat, ut in hoſtem profeſſum animadvertatur. In cauſis autem decidendis ſenatores, non ex ſuo arbitrio, ſed prout domini illorum iubebunt, iudicabunt. 7) Vnio in confiniis tribunalia conſtituat, quæ de litibus inter diverſorum principum cives exortis, modo ſumma de qua diſceptatur, decem mille libras argenti ſuperet, pronuncient, quæ autem minoris momenti ſunt, ad iudices locorum ordinarios remittant. Principum vero erit, ſententias ab his tribunalibus latas prompte, non aliter, quam ſi ipſi iudicaſſent, exequi. 8) Vt vero unio eo validior ſit arctiusque cohæreat, ſingulæ civitates iam recitata capita ſuis ſigillis munire, nec, ut quicquam mutetur, aut novetur permittere debent. De quibus autem in hac unione nihil pactum conventumque, de illis ſecundum duas tertias votorum ſenatus ſtatuendum erit. Hiſce præſuppoſitis, adduntur deinde ab Abbate plures adhuc ſive regulæ, ſive obſervationes, quibus opus eſſe putat partim, ut fundamenta huius unionis non in lubrico, aut inſta-

biliter, ſed ſolide locentur, partim, ut totum ſyſtema, deinde eo magis apte atque cum ſucceſſu ulterius expoliri poſſit 1) De loco curiæ huic ſenatui Europæo deſtinando 2) De iure numeroque ſuffragiorum ſingularum civitatum. 3) De perpetuis unionis per ſingula regna habendis ſpeculatoribus, & an nihil contra unionem vel pacem tentetur obſervatoribus. 4) De copiis bellicis æqualiter e ſingulis nationibus ſeligendis, de obligatione potentiorum, pecunia minus potentibus aſſiſtendi, de æquali militum numero per ſingulas nationes tempore pacis alendo. 5) De prœmiis ſubditorum, qui bello inter principem ſuum & unionem exorto, principe deſerto unionis cauſam defendunt 6) De præmio illorum qui machinationes contra unionem detegunt, deque iuramento principum civitatum, ſinguiis annis, una cum præcipuis adminiſtris ſuis, de unione eiusque legibus tuendis, præſtando 7) De limitibus acquæſtuum apud Indos, per commiſſarios unionis definiendis. 8) De curia unionis validiſſime munienda & inſtruenda 9) De indemnitate Belgis, pro Traiectino territorio ſenatui conceſſo, præſtanda 10) De belli duce caute per plura, non ex gente regia eligendo, circumſcribendaque eius, circa promotiones præfectorum militarium poteſtate 11) De qualitate plenipotentiariorum & vice plenipotentiariorum, in curia conſtituendorum, de gradibus in promotione miniſtrorum unionis obſervandis 12) De præſidum ſenatus dignitate per ſingulas ſeptimanas ambulatoria, 13) De diebus conſeſſus, de modo cauſas ad ſenatum delatas examinandi, de cameris, ſive conclavibus ſenatus ſubalternis ſecundum diverſitatem cauſarum ordinandis, de idiomate ſenatus, de libertate religionis ſenatorum, de moneta unionis nomine cudenda 14) De munimentis a Czaro & Turca, in locis limitaneis communi ſumtu extruendis, alendoque ibidem limitaneo milite. Tandem annectitur ſimul, quædam unionis pro cenſus contributione definienda matricula.

§. XIV. Ne autem de tali unione formanda, principibusque ad eam alliciendis, lector deſperet, provocat Abbas 1) ad exempla ſimilium unionum Amphyctionum, Germanorum, Bel-

Belgarum, & Helvetorum, additque 2) ex his exemplis iam formulas unionis mutatis mutandis depromi poſſe 3) Vrget pauciores eſſe hodie ſummos principes, qui unionem conſtituere debent, quam olim cum Germania, plusquam bis centum diverſis capitibus, poſt extinctos Carolingos conſtitiſſet, qui tamen omnes communis unionis conſilium prudenter meditati, feliciterque executi eſſent. 4) Maxima recenſet huius unionis emolumenta, non tantum in minus potentes, quos neceſſitatis ratio per ſe ad coniunctionem cum aliis cogit, ſed quoque in valde potentes, qui ſuæ defenſioni, alias ſibi ſoli etiam ſufficere videbantur, certo redundatura. 5) Hæc ipſa emolumenta non tantum ſatis ampla, ſed & conſtantia, imo perennia atque æterna, nec unione ſemel rite ordinata, ullam vim, paciſque turbationem ſive in gremio huius unionis, ſive ab exteris hoſtibus, unquam metuendam fore contendit. Vrget 6) exemplum Henrici IV. qui ſatis propriis armis niti, atque per bella glorioſe geſta ſe efferre potuiſſet, nihilominus univerſalem iſtiusmodi unionem his omnibus prætuliſſet, aliosque ad eandem amplectendam operoſe invitaſſet. Tandem 7) unionis præſtantiam ex eo, quod per eius leges fundamentales, omnes mutuæ petitiones tollantur, omnis ulterior de finibus contentio componatur, adeoque tantum non omnis litigandi occaſio in futurum præſcindatur, & radicitus quaſi evellatur, ſummopere commendat. Sed placet primo utriusque ſyſtematis collationem inſtituere, & deinde demum, an Abbatis meditationes nullis plane difficultatibus premantur, breviter diſpicere.

§. XV. Ex utriusque collatione patet, quod Abbatis meditamenta circa hæc potiſſimum capita ab Henrici IV. conſultationibus abeant. 1) Abbas conſtituit plures ſuffragantes pluraque ſuffragia 2) plures aſſumit in ſocietatem, ut Czarem, Turcam, Barbariæque dominatores. 3) Inſtitutum Abbatis tendit ad alium ſcopum, nec Auſtriacos Germania eiicere, nec Hiſpani imperium ita coanguſtare, nec Papæ, Sabaudo, Venetis Belgisque tot incrementa addere, nec portam Ottomannicam deſtruere, nec reipublicæ Chriſtianæ nomine, ſed

ſocietatis pacificæ omnium Europæ Gentium titulo potiri, noſcique cupit. 4) Alia hic eſt diviſio & ſubordinatio collegiorum, alius modus contribuendi & alius copiarum numerus. 5) Obſervatur hic inter ſingula membra æqualitas iurium, circa præſentandos communis ſenatus aſſeſſores, vota, numerumque militum. 6) Non certum directorem, qui ad hanc ſocietatem alios invitet, eamque ſtabiliendam curet, commendat. 7) Omnia cogitata ſua Abbas diſtinctius proponit, aptius collocat, evidentius connectit, ſpecioſiora unionem tuendi media ſuggerit, operoſius, quæ in contrarium moveri poſſunt, examinat, & refellere conatur, quam quidem Henrici IV. conſiliarii. Vt proinde 1) nec reſpectu domus Auſtriacæ iniquus, vel plane iniuſtus erga iſtam affectus, nec 2) indifferens atque ſine omni cauſa ſuſcipienda Turcæ oppugnatio, vel expugnatio, nec 3) relicta in ſyſtemate eadem æmulationis perpetuæ ſemina, quæ in recenſione ſyſtematis Henrici commemoravimus, hic in contrarium obiici queant. Neque vero ab Abbate quicquam tradiditur, quod noxium, aut iuris, aut ipſi ſubIimiori Chriſtianorum diſciplinæ repugnet, vel veræ utilitati gentium aperte refragetur. Vt quivis, qui rem recte æſtimat, fateri cogatur, quod Abbas ſanctiſſimis regulis amoris a Pſalmiſta, ipſoque Chriſto inculcatis, communi autem hactenus vitio neglectis, ſuccurrere, iisque ſat firmum præſidium, atque perpetuum munimentum egregio cetera ſtudio circumponere voluerit, nec exigua pro ſuo conſilio laudis adorea donandus videatur.

§. XVI. Enimvero, ſi ad quæſtionem de huius Syſtematis uſu atque introductione in praxin reſpicimus, non una ſunt, quæ ſine ſpeciali illius, cuius in manu omnia ſunt, cuique nihil impoſſibile eſt, aſſiſtentia tam nobilis inſtituti ſpem difficillimam reddunt. Imo nec Abbas ex omni parte a gentis Germanicæ præiudicio, gloriæque imminutione abſtinet, nec a partium Gallicarum ſtudio ſatis ſibi temperat, quod utrumque paucis modeſte iam oſtendemus. Initio recurrunt, hic præcipuæ difficultates, quas antea ſyſtemati Henriciano oppoſuimus. Amor ſcilicet communionis iam diu refrige-

ſcens.

ſcens. Deſiderium humanum in ſolidum habendi regendique, illud, quod homines habent & regunt. Odium & tædium alterius eſſe, dum ſuo eſſe licet. Diverſitas nationum religionum, morum, rationumque ſtatus. Præcipue nunc Turcis, Barbarisque ad novæ unionis epulas ex Aſia & Africa ſimul invitatis, difficultas limites tam compendioſe inter tot gentes terminandi. Perplexitas mutuarum petitionum, ſeu prætenſionum, item ſpes quem principes fovent, prætenſionibus ſuis, vel cito, vel certe ſero potiundi. Deinde homines non habent pro pulchro, eleganti, utili, iucundo, honeſtoque, niſi quod propenſio dominans, nativumque affectuum temperamentum tale eſſe iubet. Vnde hoc argumentum: *Hoc aut illud cum hominum cupiditatibus convenit, ab iisdemque pro bono habetur. Ergo illud non tantum appetunt, ſed in illud plane ruunt*, optime concludit. Alia vero illatio: *Hoc vel illud ſua natura atque in ſe rationem boni continet, ergo ab hominibus deſideratur & executioni mandatur*, in experientia philoſophica, manifeſto conſecutionis vitio ſæpius laborat. *1. Atqui huc tota

 vis

*1. *Non tam bene cum rebus humanis agitur, inquit,* SENECA *de vit. beat. c. 2., ut meliora pluribus placeant. Aliud, quod factum optimum, aliud quod uſitatiſſimum. Et pars ideo peior eſt, quia maior. Tam inter chlamydatos, quam coronatos.* Vnde Abbas non debebat contemnere amici illius obiectionem *p. 299*, qui dicebat, principes non ſubſcripturos eſſe huic ſyſtemati, & ſe hoc certo ſcire, quod hoc facere nollent, licet cauſas huius repugnantiæ latius deducere non poſſet. Nec enim tam ad rationem homines vivunt, quam ad ſimilitudinem propriamque cupiditatem. Neque hic diſtinguendum cum ABBATE inter commoda huius & futuræ vitæ, quaſi poſterioris generis commoda, utpote in ſenſus non adeo incurrentia, homines non adeo curent, bene autem priora, præcipue cominus ipſis oſtenſa. Nam 1) pietas habet promiſſionem *huius* & æternæ vitæ & tamen parum excolitur, vitium eſt etiam in hoc mundo ſui ipſius pœna, quo tamen non obſtante, homines vitia præ virtute ſectantur. Nec in genere ſecundum ſua principia, aut dogmata, de quacunque vitæ claſſe ſermo ſit, ſed prout affectus dominans præcipit, agunt. 2) Nec commoda unionis adeo evidenter certa ſunt, ut mox audientem perſuadeant. Sicuti enim certum eſt, quod perfecta

&

vis rationum ab Abbate pro ſua unione allatarum, huc robur reſponſionum ad adverſariorum obiectiones datarum nervus redit. Neque hæc vane, aut ſubtiliter a nobis moneri, uſus, rerumque eventus ſatis Abbatem docuit, dum opinio, quaſi ſpes ſit ſyſtema ſuum mox in tractatione, nuperæ pacis Vltraiectinæ ambabus manibus, a magnatibus acceptatum, approbatumque iri, ipſum in hunc usque diem feſellit. Sed licet hæc generatim prolata ſufficere poſſent, omnibus pro tuitione ſyſtematis unionis ſpecioſe conductis, redarguendis, placet tamen quædam adhuc nominatim perluſtrare, atque examinare. Sic 1) præcipuum fundamentum collocat in æqualitate, & tamen ſimul futuræ ſocietatis conſtituit membra inæqualiſſima, quarum diverſa potentia; ut ABBATEM habemus confitentem, quindecies & pluries longe ſe invicem exſuperat. Neque præſens neceſſitas diviſionem excuſat, nam cur v. c. ſine ulla neceſſitate Curlandiam a Poloniæ rationibus ſeparavit? cur Imperium Romano-Germanicum in ſeptem ſtatus independentes, ex mero arbitrio diſtraxit? cur præponderanti Gallorum potentiæ, amiſſas aliquod urbes reſtituendas eſſe contendit? 2) illud oppido cum omnium potentiorum guſtu pugnat, quod v. c. Duci Curlandiæ idem, qui v. c. Gallo, aut Turcarum Sultano exercitus *2. ſuffragium circa res ſtatus publici idem, poteſtas ſena-

& ſecundum virtutem inſtituta unio, certo bonos fructus latura eſſet: ita de unione hominum prout iam ſunt, mali ſcilicet perverſi &c. non poteſt fere melius ſentiri, quam de ipſis unientibus, ſeu unionem conſtituentibus. Ad unionem ABBATIS qnadrat illud tritum: *Dulce bellum inexpertis*, licet mala conſectaria non adſcribenda ſint ſoli unionis, ſed & ſe unientium vitio.

*2. Hæc copiarum æqualitas, ut ſcilicet ſecundum leges unionis fundamentales, nemo ſociorum ultra duodecim militum millia, (hunc numerum enim Abbas definit) alat, haud parum ſane potentiorum principum mentes exercebit, antequam a ſe impetrare poſſint, ut unioni ſe adiungant. Nam 1) in amplitudine exercitus numeroque militum, potiſſimum ſuam præ aliis excellentiam præſtantiamque, magni principes, præcipue dum adhuc in florenti vegetaque ætate vivunt, ſibi conſtituunt, reliquam pompam, quam Abbas ipſis commendat v. c. ædium

ſenatorem mittendi eadem, imo ſi ipſe ſumtibus ferendis, forte non par ſit, pecunia gratis & largiter a potentioribus ſociis ſubminiſtrari debeat. Neque rem conficiunt ipſius additamenta, quod, qui plus lucri ex unione percipit, etiam plus impendere debeat. Nam potientiores pro ſupplendo ratiocinio: *& quoque plus auctoritatis, pluraque ſuffragia haberi debet*, ſine dubio ſecundum logicæ politicæ ſuæ præcepta, ſuperaddent. Neque credibile eſt, quod tam notabiliter diſtinctarum civitatum legati, in Senatu conſidentes, ſe invicem æquo ſemper animo, ſine arrogantia, ſine contemtu, atque ſine ſuſpicione reſpectaturi ſint, nec ſæpius res in ſimulates, atque mutuas exprobrationes unioni parum proficuas, ſi caſus contingeret, unioque exiſteret, eruptura ſit, 3) quod quilibet Rex in ſua regia non tantum Ambaſſadorem unionis, ſed quoque per ſingulas maiores provincias, eiusdem reſidentes perpetuos, & non quidem ut meros hoſpites, aut legatos honoris cauſa, bona gratia receptos, eademque ſi e re viſum iterum dimittendos, verum, ut commiſſarios & inquiſitores æternos, non tantum ferre; ſed etiam in ſuo munere inquiſitorio, eo, annon in ſua civitate aliquid, quod unionis ſenatui ſe non ſatis probare queat, agatur, tendente, & collimante, omni ſtudio, ſecundum Abbatem noſtrum, adiuvare teneatur:

dium ſplendidarum extructionem, aulæ elegantiam, pediſſequarum multitudinem, conviviorum luxum, pecuniarum acervos, ſumtuoſum ſupellectilis apparatum adminiſtrorum togatorum purpuram, vulgaria, atque cum aliis minorum gentium diis ſibi communia eſſe exiſtimant. Solas peditum equitumque turmas, cohortes, legiones, pluresque phalanges ad nutum in aciem & ad conflictum prodeuntes, ſubditos obedientia continere, vicinorum venerationem, hoſtium tremorem & terrorem parare putant, ſuffragante que rerum uſu quotidiano firmiſſime credunt. Neque vero 2) aliter magna civium pars rationes ſuas ſubducit, non tantum milites, illorumque præfecti, principum ſuorum copiarum multitudinem, ubique repetunt & iactant, ſed quoque civilis ſapientiæ conditores eadem chorda oberrant, atque excellentiori rei militaris inſtructu, potentatum conſtare, publice docent. Quo itaque orationis genere Rhetor rem aggredietur, qui hanc philoſophiam e principum animis, ubi tam altas radices egit eiicere intendit?

tur: pariter manifeſto ita comparatum eſt, ut cum delicato principum noſtrorum honoris ſenſu, vix concilietur. Et quis 4) ſibi ſerio perſuadeat, ſummos principes antea liberos, neminique addictos, articulos unionis, qui ſingulis annis iuramentum ab illis, coram deputatis unionis præſtandum, exigunt, civesque & ſubditos, ſi principes criminis contra unionem commiſſi accuſentur, non ſolum ab omni obedientiæ nexu abſolvunt, ſed ſub ſpe prœmiorum, ad arma contra dominos ſuos capeſſenda excitant, tam facile omni ambitionis ſenſu ſuperato concoquere poſſe, ut his non obſtantibus nihilominus læto animo tam durum ſocietatis genus ſint amplexuri. Neque ſufficit hic regerere, quod iuramentum hoc ſaltim cautionis loco deferatur, reliquæ pœnæ autem, recte ſecundum pacta conventa agendo, facile evitentur. Nam principi, qui ſemel fidem ſuam iuramento adſtrinxit, graviter omnino accidit, ut ab eo, tanquam ex ſingulorum annorum decurſu religionis fideique ſuæ menſuram capiente, per diffidentiam tot quotannes adſeverationes expoſcantur. Nec princeps aliter, quam ægre ferre poteſt, ſi inter eiusmodi pœnarum minas, quas civium non bene cupientium mala mens, pravaque accuſatio, tam facile ipſi accerſere poſſunt, anxium precariumque ſpiritum ducere cogatur. Dura quoque eſt 5) clauſula huius unionis, quæ ſub pæna commiſſi, amittendique regni, quemlibet nomen ſemel profeſſum, in perpetuum, cum omnibus ſuis heredibus in ſocietate permanere, nullaque unquam ex quacunque cauſa recedendi licentia ſperanda, ſubſiſtere iubet. Nec rem acu tangit, ABBAS, qui rationes ipſius unionis hoc depoſcere, cauſatur, quaſi vero, hæ non permittere queant, ut mitius cum ſociis recedentibus agatur? Sane talem rigorem aſſerere velle, cum & unio, cum eo, qui tantum ſecedit, nihil autem præterea contra unionis commoda molitur, in pace vivere poſſit, partim fruſtraneum eſt fundamentoque deſtituitur, partim ad quæſtionem, an ſcilicet probabile ſit, ut principes ab initio in unionem, quæ tam ſeveras leges futuris membris oſtentat, intraturi ſint, non quadrat, minimum ad eandem affirmandam animum non inducit. Vlterius

terius 6) nimis circa aliena liberalitatem exercet Abbas, quod principes ipſo in unionem ingreſſu omnibus ſuis prætenſionibus, limitumque iudiciis renunciare iubet. Sane ſi recte prætenſionum limitumque hiſtoriæ recordor, pauca tam largarum remiſſionum & renunciationum exempla extant, iudicium autem de futuris, non improbabiliter fertur, ex præteritorum repetitione, atque reminiſcentia. Nec 7) tantus emolumentorum, quem texuit ABBAS catalogus, ad pertrahendos, ad deſideratæ unionis ſocietatem tot ſummos imperantes, ſatis efficax eſt. Nam præter proprias & ſubditorum divitias, quæ potiſſimi unionis fructus, ab ABBATE laudantur, liberrimum earundem moderamen ac arbitrium, item monarchia illimitata, poſſeſſionumque veterum amplificatio, *3. principibus in votis atque deliciis ſunt, ſine quibus reliqua omnia ipſis fœta & inſipida eſſe videntur. Imo ſi nihil etiam rationis in contrarium eſſet, ſatis eſt quod principes in unionis ſocietate vivere nolint. Tandem 8) ab Amphictyonum, Belgarum, Helvetorum, Germanorumque *4. exemplis pro oſtendenda unio-

*3. Etenim 1) in eo, quod principes nemini, niſi Deo ad rationes reddendas teneantur, videtur conſiſtere ille divinus vicariatus, a ſupremo Numine in reges collatus, indeque pendere maieſtatis character, qui inviolabilitate abſolvitur. Deinde 2) deſiderium plura ſecundum vitæ ſuæ conditionem acquirendi, nativum humani generis deſiderium eſt, quo an principes, quibus tamen crebro amplior & opportunior acquæſtuum ſpes, quam aliis, oſtenditur, facilius ſe reliquis hominibus exuere queant, valde admodum dubito.

*4. Initio ſupponendum eſt, quod non omnia confœderationum ſyſtemata negemus. Nam hoc utique eſſet contra ſolem loqui & experientiæ temere, atque inepte contradicere. Imo ipſi agnoſcimus, quod quorundam eruditorum induſtriæ, quæ veterum de tribus tantum imperandi, ſive modis, ſive formis inſufficientem doctrinam emendavit, & in veræ politicæ complementum, partim rempublicam irregularem, partim confœderatorum ſyſtema adiecerit, omnino gratiæ debeantur. Attamen, quod, quæ poſitis certis circumſtantiis effici poſſunt, uſumque habent, in infinitum quaſi, & in univerſum quoque ubivis, cum ſucceſſu inſtituti queant, non æque facile perſuademur. Age conferamus imperii noſtri

nionis Syſtematis, ut ita loquar, practicabilitate, argumentum peti nequit, propter notabiles rationes diverſitatis, quodque

noſtri rationes, cum futuro ABBATIS unionis ſyſtemate, oſtendamus utriusque diſcrimina, ſimul iis etiam, quæ ab Abbate falſo aſſeruntur, hinc inde annotatis. Idque eo, quod Abbas præcipue hoc exemplo nitatur, quo inſtituti ſui practicabilitatem demonſtret. Primo falſum eſt, quod unquam extiterit fictitius quidam Germanorum Solon, qui, uti Abbas audacter ſupponit de Syſtemate confœderatorum in Germania ſtabiliendo conſilium dediſſet. 2. Falſum eſt, quod Germanorum imperium poſt Carolingos extinctos, mox induiſſet eiusmodi ſyſtematis formam. Tertio falſum eſt, quod eodem illo tempore numerus autocratorum (des ſouverains) centeſimum bis ſuperaſſet. Licet enim extincta Carolingorum ſtirpe, deſineret gens imperatrix, non tamen deſinebat imperium, nec cuilibet procerum ius erat, quem vellet regnandi modum, vel publice, vel privatim in ſua ditione introducere, aut imperii rebus ſe plane ſubducere. Nec enim hodie, aut nudius tertius invaluit nexus, qui ordines imperii non tantum imperatori, ſed quoque imperio alligat, verum ita iam olim obtinuit, diſerte dicitur apud WIPPONEM: *Si Rex periit regnum remanſit: ſicut navis remanet cuius gubernator cadit: ædes publicæ fuerant, non privatæ, iuris erant alieni, non veſtri.* Scio equidem, quod hic locus proprie ad Italos pertineat, ſed quis maiores noſtros, adeo boni publici prodigos exiſtimat, ut mortuo rege, vel quoque extincta familia regnatrice, totum regnum in infinitas particulas ſcindere, atque diſtrahere omnibus & ſingulis ius & fas eſſe crediderint? Annon prudentis, atque a vicinis in honore habiti populi votum eſt, ut ſuo honore, conſervata imperii forma, in perpetuum fruatur? Cui bono ergo fuiſſet illud commentitii Solonis conſilium, apud gentem Germanicam, quæ iamdiu in unum imperium coaluerat, nec illud, ſi paucorum inanem ambitionem excipis, unquam diſſolvere, aut diſcerpere cupiebat. Hoc facile largimur, quod ſæpius fere nemo ducum parere, ſed omnes ipſi rerum ſummæ præeſſe voluerint, quod autem imperium in minutulas, veluti civitates dirimendi cogitatio maiores noſtros ſubiiſſet, adeo, ut Abbatis Solone tanquam deo ex machina opus fuiſſet, nos quidem apud hiſtoriæ noſtræ conditores non legimus. Porro Cunradus non electus fuit, ut merus confœderatorum præſes, ſed ut rex *cuius poteſtati & fidei ſe proceres ſubdebant, cuius* GRATVITO *munere beneficium, ſeu officia ducum recipiebant* DITHMAR *p. 325. apud Leibnit. t. 1. unde ducalem poteſtatem a rege ducibus tradi regem illos honore paterno donare, proceres ducum* OFFICIA

FICIA

que maius & minus in moralibus, ſi non plane ſpeciem immutent, eandem tamen, ſibi invicem inſigniter diſſimilem red-

FICIA *gerere regis* IVSSV *in comitatum ire, regem pollere maieſtate & poteſtate regali, ſub* Cunrado I. & Henrico I. credebatur WITTEKIND *p.635 638. 644. apud* MEIBOM. De confœderationis ſyſtemate, ubique altum ſilentium eſt. Porro mortuo rege apud Duces Francorum, Saxonum, Bavarorum &c. neutiquam penes prolixam comitum nobiliumque turbam, ſumma poteſta erat. Nam nexus Imperii erat, ut ſede imperii plena imperator ducibus, duces comitibus & reliquis imperarent. Vnde comites Alemannici *p. 435. apud* WIPPON *t. III.* PISTOR. *Quidquid honeſti & iuſti a nobis exquiritis* (Dux Erneſtus ſc.) *in hoc parere volumus, ſin autem contra hoc vultis revertemur liberaliter (ad imperatorem) unde nos venimus conditionaliter.* Sede Imperii vero vacante, ſoli duces neceſſitati publicæ proſpiciebant, utut ſtatuum provincialium rationes non plane aſpernarentur, ſed & illos in conſilium adhiberent. Quomodo itaque Abbati circa vetuſtiora imperii noſtri publica iura curioſitatem exercenti, civitatum a nemine pendentium exercitus in mentem venit? Ex hactenus dictis ſequitur Abbatis falſum quartum, quaſi imperium noſtrum poſt Carolingos novam periodum, a nova Amphyctionica, aut alia, neſcio qua nova confœderatione auſpicatum eſſet, cum tamen revera tantum continuatio unius imperii iam ante per electionem Arnulpho delati, ſub Conrado I. deprehendatur. Vti ad oculum demonſtravit LEIBNITIVS ſcriptis ſuo tempore prodituris, quibus falſis principiis prænotatis differentiæ reliquæ ſyſtematis Abbatis, atque imperii noſtri nullo negotio oſtendi poſſunt, quo vero magis eluceſcant, ponamus illas in una tabella e regione

IMPERIVM GERMANICVM	ABBATIS VNIO
1) Imperium Germanicum ratione originis ſuæ nihil ſingulare continet, ſed Germani Francorum felicibus armis in unum regni corpus coaluerunt, in diviſione hereditatis Ludovici pii ſuum peculiarem regem acceperunt, mox ſibi reges ipſi elegerunt, & ita imperium ſimul introductum unum & continuum, licet varia fortuna, nec ſine inſigni plurium rerum immutatione, ad poſteros propagarunt.	1) Vnio Abbatis per mera ratiocinia, quaſi concreſcere debet & nihil fere circa illam reperitur, quod dictis de imperii noſtri origine, atque progreſſu reſpondeat.

2) Vnio

reddant. Concludamus itaque cum aliis, quorum obiectiones ipſe ABBAS adfert, eiusmodi unionem pacificam, rempubli-

2) Imperium noſtrum, non niſi unam nationem complectitur, ut eius compages non magis miraculo ſit, quam regni Polonici, vel quondam ante Monarchiæ illimitatæ introductionem, regni Gallici &c.

3) Imperium Germanicum in quacunque fuerit, vel etiamnum unione perſiſtat, invaſionis hoſtium extrinſecorum metus ab illo usque tempore, quo res ſuas ab occidentali Francorum regno ſeparatim habere cœpit, ad hanc unionem adegit, in eaque continuit vel

Breviter: 4) pleraque Imperii membra cum ob civilia & inteſtina odia intra ſe, tum ob vicinorum quorundam potentiorum bella & oppugnationes extra ſe, ſine communi capite ſingula pugnare, atque ſalva eſſe nequeunt.

5) Imperium Germanicum mole non laborat ſua, nec iuſtæ reipublicæ modum excedit.

6) In Imperio, tempore Conradi, ad quod provocat Abbas, iam membra diu uni capiti ſubeſſe & communiter agere didicerant.

7) Germani in ſuo tamdiu exculto, ipſaque ſuadente neceſſitate conſervato imperio, tamen ſibi invicem diffidunt, minimum viciſſim non ſatis ſibi ſuccurrunt, nec communem ſalutem, tam ſibi neceſſariam ſatis curant, licet, quæ in commune obſervanda ſint plus vice ſimplici per leges publicas, communi

2) Vnio debet conſtare nationibus pluribus longe lateque, ſitu, moribus, religione &c. differentibus, quod inſtitutum nullo alio exemplo illuſtrari poteſt, ſed in idea tantummodo conſiſtit.

3) Membra unionis autem pleraque nulla hoſtium extrinſecorum metu ad hanc unionem coguntur, ſed vel ſibi ſolis relicta ſufficiunt, vel paucis, aliis in fœdus aſſumtis, ſine difficillima, vel plane impoſſibili univerſali unione, ſufficere poſſunt ad hunc metum depellendum.

4) Vnio Abbatis reſpectu ſe unientium ejusmodi unionis cauſis, quæ ipſam maturare queant, non commendatur.

5) Vnio & mole ſua laboratura eſt in principio, & mole ſua ruitura eſt in fine.

6) Illo tempore, quo Abbas unionem ſuam meditatus eſt, nec gentes uni capiti ſubeſſe, nec ad communes rationes agere didicerunt.

7) Iam cogita: ſi hæc talia tam lente procedunt, tam parum curantur & obſervantur, in una gente, quæ a communi candore & ſinceritate nomen traxit, vel certe harum virtutum encomio ſe effert, atque ſibi placet, quamque commune idioma, communis lingua, ortus emolumentumque commune ſibi invi-

blicam idealem eſſe, non conſilium, ſed votum, illique graviſſime obſtare voluntatem, ſeu naturam hominis moralem.

§. XVII. Tandem, quod ſecundo loco in Abbate notabamus, per ipſius ſyſtema ſplendorem & gloriam Imperii noſtri imminui, regnum Gallıæ autem non tantum tempore unionis poſſeſſa retinere, ſed etiam amiſſa recuperare, adeoque Abbatem ſtudio partium non vacare. Id iam ex adductis colligi poteſt & exinde evidentius adhuc eluceſcit. Primo de

in comitiis decreto conditas, definita, atque deciſa ſint. Refer huc: wenn ein Reichs-Krieg anzufangen, eine Reichs armee aufzubringen, die gemeine Reichs caſſa zu verſorgen, die gemeine Feſtungen v. c. an dem Rhein zu beſetzen, das gemeine defenſions-Werck zum Stande zubringen, die an dem meiſten der Gefahr exponirete circuli zu ſchützen &c. Ergo:

8) commune aliquod Imperium in una natione Germanica datur, quale inter omnes fere nationes datur.

invicem conciliant, qui quæſo fructus ſperandi erunt, ab illa portentoſa vaſtiſſimaque tam diverſarum Gentium per Abbatem excogitata ſocietate, quam nullæ eiusmodi illecebræ conglutinant, ſed tot membrorum contrariæ rationes, ad fines ſibi oppoſitiſſimos ducunt, aguntque. Ergo:

8) quia communis gentium unio nullibi reperta eſt, ullo ævo, nec Abbas eam reperiet hac noſtra ætate.

De Belgarum, Helvetorumque rebuspublicis differere vel easdem cum Abbatis unione conferre non opus eſt, cum Abbas hanc collationem ipſe non adeo urſerit. De Amphictyonum communi conſilio agunt MEVRSIVS, VBBO, EMMIVS &c. ſub eo ſola Græcia, & nequidem omnis continebatur, cauſa communis huius ſocietatis primaria fuit finium patriæ defenſio. Noſter illud inde mutuatus eſt, quod in ſua unione ius ſuffragii, absque reſpectu ad ſuffragantium membrorum potentiam viresque diverſas, par & æquale eſſe voluerit, ut maxima reſpublica eodem voto, quo minima gauderet, quod itidem quondam AESCHINE teſte, apud Amphictyones uſu ſervatum fuit. Ceterum magnam mutationem huius reipublicæ Philippus, Macedonum rex attulit. Pro unione Abbatis firmanda, nihil vel parum exinde peti poteſt. Ni quis ita argumentari velit. *Dantur plures inter mercatores de* SINGVLARVM *rerum permutatione atque commercio ſocietates. Ergo nec ſocietates omnium bonorum inter eosdem adeo infrequentes erunt.* Scilicet iam monuimus, quod a modicis inſtitutis in moralibus æque infirmiter ad immodica, quam alias a particulari ad univerſale inferatur.

ipſo imperio, an illud poſt unionem apud gentem germanicam ſalvum manere & ad poſteros propagari debeat, Abbas fere pugnantia tradit. Nam dicit quidem: quodlibet membrum unionis, uti hactenus, ſive reſpectu rerum, ſive reſpectu iurium quælibet poſſedit, ita & impoſterum poſſideat. Secundo in regnis electitiis pacta conventa non tantum conſervari, ſed per ipſam unionem defendi debere, addit, & ſub his pactis *capitulationes* noſtras diſerte comprehendit. Vt proinde cauſam Imperii, eiusque in futurum cum gente noſtra nexum tueri videatur. Sed ſi viciſſim expendis 1) quod Abbas in recenſione ſuarum XXVII. civitatum, quibus conſtare iubet futuram unionis ſocietatem, nomen imperii omittat, & ſimpliciter Auſtriacam Domum, & quidem XXI. demum loco ſine ulla imperii mentione conſtituat 2) quod Electores in tot novas ſeparatas civitates deſcribat, quodque Germaniam noſtram in ſeptem plane diverſos novos ſtatus dividat, ſi inquam hæc expendis, non aliter inferre poteris, quam Abbatem, vel plane tollere imperium, vel ſubtractis præcipuis illius columnis, tecta quoque eiusdem ſolo æquare velle. Minimum hic non levæ invidiæ ſpecimen Abbas dedit, quamque invido oculo imperiale Germanorum axioma aſpiciat, ſatis teſtatum fecit. Vt taceam, quod hæc commenta plane non cohæreant, cum futura membrorum ſocietatis unionis, ab Abbate ipſo commendata æqualitate. Imo prope abſint ab occulto inter proceres imperii diſcordiæ ſemina ſpargendi pravo inſtituto. Nec enim credibile eſt, quod duces, principes, comites, cum urbibus imperii æquo animo laturi ſint, quod illorum nulla peculiaris mentio facta, verum illi omnes Electoralium novarum civitatum acceſſoria eſſe iubeantur. Deinde, quomodo apud iuſtos & æquos rerum arbitratores excuſabit, quod circa Galliam ratione plane contraria verſaverit, nec conſuluerit, ut & hæc pro aliquali æqualitate inter regna obtinenda, atque pro amore pacis publicæ, conſervandaque futura unionis ſocietate, pariter ſe abdicet omnibus ſpoliis Burgundicis & Lotharingicis acquæſtibus, novæ ſeparatæque ſocietati deſtinandis. Cur ſolius Germaniæ eſſe debet: *amittere*, *dividi*, *ſcindi*, *diſtrahi*, Galliæ autem: *reti-*

retinere, *recuperare*, *uniri*, *coniungi?* Quare iuſtitia poſcit,* ut iuſto bello Gallis extorta, non maneant apud expugnantes, præcipue cum & Gallia pariter nullum alium recuperandi titulum, quam bellicam quandam acquiſitionem oſtendere queat, in pari autem cauſa melior omni iure ſit conditio poſſidentis.

CAP. III.

DE ARBITRIO LEGALI CVM AEQVILIBRII, TVM EX ALIA PVBLICA CAVSA INTER BELLANTES INTERPONENDO TANQVAM DE REMEDIO PACIS AC QVIETIS INTER GENTES TVENDAE APTISSIMO ET FREQVENTISSIMO VBI PRIMO DE HVIVS ARBITRII DESCRIPTIONE VTILITATE ATQVE IVSTITIA.

SVMMARIA.

§. I. *Repetitio brevis, remediorum pacis allatorum. Arbitrii diviſio. cum definitione Arbitrii legalis.*

§. II. *De huius arbitrii utilitate, cum obiectionibus Abbatis Sti Petri.*

§. III. *Reſponſio ad obiectiones Abbatis.*

§. IV. V. *De iuſtitia arbitrii legalis in genere.*

§. VI. BOECLERI *argumenta contra hoc arbitrium.*

§. VII. VIII. *Refutatio horum argumentorum.*

§. IX. X. *De iuſtitia arbitrii æquilibrii in ſpecie.*

§. XI. *Rationes* GROTII *&* PVFENDORFII *contra æquilibrium, cum reſponſione ad easdem.*

§. XII. XIII. *De reliquarum arbitrii ſpecierum iuſtitia.*

§. I.

Varia hucusque ſalutis ſive pacis inter gentes tuendæ remedia vidimus. Sed, (1) monarchiæ univerſali (2) coniunctio-

---

* Ita ſcilicet decidente Abbate *p. 234.* apponamus integrum locum, quo quilibet perſpicere poſſit, eam demum unionem ad palatum Abbatis eſſe, quæ Gallis non tantum gratis conſtet, ſed quæ lauto inſuper præmio illos pro acceſſu ad unionem exornet: *Au reſte* dicit Archimandrita, *il eſt certain, que plus les alliés ſeront faciles à contenter la maiſon de France, ſur les reſtitutions qu' elle demande avec tant de* IVSTICE *&* de FERMETE, *plus elle ſera diſpoſée à les contenter ſur toutes les articles de ſureté.*

ctioni plurium civitatum vinculis diverſis, uti ſub Romanis quondam, (3) conſilio unionis Chriſtianorum, vel plurium civitatum gentium, impoſſibilitatem moralem, (4) ſorti, (5) principum colloquiis (6) ſingulari certamini, gentium non uſum hodiernum (7) compromiſſo (8) mediationique inſufficientiam frequentem (9) confœderationi prolixiori & (10) neutralitati pericula & inutilitatem non ſine ratione, ut ſperamus obiecimus. Diſpiciamus nunc de arbitrio cuius gratia unice præcedentium examen inſtituimus, & præſentis Diſſertationis ſcriptionem ſuſcepimus. Initio ſtatim ſupponendum eſt, quod hic nobis non ſit ſermo de arbitrio *conventionali*, quo in futurum arbitrum per præcedens compromiſſum partium belligerantium, poteſtas confertur, de re litigioſa, quæque publicæ per vim concertationi cauſam dedit, arbitrium faciendi, & ſententiam ferendi. Nam de hoc ſupra diſputavimus. Deinde nec id arbitrium iam perſequimur, quod meræ, de alicuius animi dotibus, & virtute conceptæ honorificæ opinioni debetur. Quod ad differentiam conventionalis, arbitrium *auctoritatis* forte non incongrue appellares. Quale quondam fuiſſe dicitur Præſulis Leodienſis VASONIS ſive VAZOLII ad quem, propter ipſius viri meritorumque admirationem, non tantum Imperii noſtri ordines tanquam ad communem arbitrum Henrico III. imperante undiquaque omnes confluebant, ſed eius quoque conſilia vicinorum reges tanquam ex tripode dicta, in maximi momenti controverſiis, ut vel Philippi Gallorum regis, ad monitum ipſius ab expeditione *1. contra Imperium ſuſcepta, con-

*1. Cum Rex Henricus III. peregre in Italiam abiiſſet benedictionis apoſtolicæ impetrandæ gratia & ſecum ire iuſſiſſet tantum non omnem nobilium virorum coronam, Franci totius Imperii germanici robur iam patria exiiſſe rati, Aquenſe oppidum regni quondam ſedem, nullo, ut exiſtimabant reſiſtere valente, occupare aggrediebantur. Exercitum undique cogebant, proceres arma capeſſebant totaque Francia commovebatur. Sed WASONIS litteris iterata vice ad Francorum regem datis, iniuſtitiaque belli oſtenſa, mox effectum eſt, ut ſaniori conſilio ſuggeſto, ini-

confeſtim abſtinentis, exemplo conſtat, ſuſpiciebant atque venerabantur. Verum de eo arbitrii genere agimus, quod etiam citra antecedentem partium conventionem intervenit, nec ſola præſtantiæ virtutumque moralium exiſtimatione ſubnixum, per rationum pondera tantum aliquid ſuadet, ſed quod mitiora conſilia, ad præſentem rerum ſtatum accommodata initio quidem ſuggerit, viamque futuras turbas evitandi monſtrat, talia vero audire nolentes, vi maiori adhibita vel certe oſtentata, aut plane a cogitato bello, aut minimum, ab ulteriori eius continuatione abſtinere, remque acceptatis non iniquæ pacis conditionibus tranſigere iubet. Ni fallor hoc arbitrium non inconcinne: ARBITRIVM IVRIS GENTIVM LEGALE denominari poteſt. Neque vero aliquid inſolens, aut inuſitatum hoc modo docetur. Nam uti ſingularum rerumpubl. adminiſtratio, parentium atque imperantium munia, ex rationibus œconomiæ privatæ, officiisque patrum familias hominumque, qui in familia ſunt, illuſtrari poſſunt, ita ulterius viciſſim, ab his iisdem ſingularium rerumpubl. inſtitutis, ſimilitudine mutua accepta, maximæ illius atque univerſalis humanæ ſocietatis naturæ & indoli, lucem aliquatenus affundere citra iniuriam licebit. Atqui vero cui non ſatis nota eſt, iuris publici noſtri Romano Germanici Auſtregarum doctrina, qua in *legales & conventionales* dividuntur atque diverſa hac ſua origine, a ſe invicem ſecernuntur. Igitur idem diſtinctionis genus arbitrio iuris gentium quoque applicemus & ac-

M com-

---

iniquum propoſitum mutaretur *vid.* ANSELM. *canonic. Leodiens. p.* 299. *apud* CHAPEAVILL. *tom I.* ubi litteræ WASONS *p* 300. De auctoritate præſulis *p.* 28. ita ANSELMVS cenſet. *cerneres quaſi ex diverſis alvearibus apes ad hanc flori
geram arborem convolantes, ut inde ſuis quæque cellis referrent, unde areſcentibus favis nectar melliflui roris poſſet infundere. Haud aliter ex ignotis & notis regionibus, ad virum bonum Chriſti odorem ſpirantem, undique ſtudioſorum confluebant agmina: & alter quodammodo Salomon, ad ſe videndum & deſideranter audiendum, religioſos cuiusque generis invitabat* Vnde Imperator eum Mundiburdium Imperii, tempore abſentiæ conſtituit *vid.* MELART *hiſtor. comit. Huy. L. II. p.* 70. BOVCLIER D' ETAT *p.* 82. *ſequ.*

commodemus. Deſcriptio arbitrii noſtri ex adductis iam ſuo modo patet, poteſt tamen plenius ita deſcribi: *Eſt arbitrium legale* * 2. *quod æquilibrii*, * 3. *variisque aliis* * 4. *iuris gentium rationibus innititur, & ad tranquillitatem pacemque communem partim conſilio & argumentis* * 5. *partim vi atque armis retinendam aut recuperandam ordinatur, ab omni eo* * 6. *qui potentia viribusque propriis confidere poteſt, nec per propriæ ſuæ* * 7. *civitatis rationes impeditur, ſecundum regulas cum publicæ, tum privatæ ſalutis gentium, probe inter ſe temperatas*, * 8. *caſu eveniente faciendum, atque inter bellum mοturos, aut eodem iam implicitos, exercendum.*

§. II. Vtilitas huius arbitrii, præcipue ex fine ſuo probatur. Eo enim ipſo, quo ad publicam tranquillitatem tendit, illamque aut recuperat, aut tuetur, ſatis inſignis eius uſus ſe prodit. Nam

---

* 2. Ita vocamus, non a lege quadam ſcripta, nec enim inter gentes ius ſcriptum datur, ſed a lege ſive regula per ſanam rationem e conſideratione atque inſpectione ſtatus gentium collecta & illata.

* 3. Huius præcipua cura habenda eſt in ſtatu naturali in quo ſummi Imperantes inter ſe vivunt. Nam in hoc ſtatu homines nocendi voluntatem vix aliunde, quam ex potentia ſua diiudicare & moderari ſolent.

* 4. V.C. ut tandem humano ſanguini parcatur, vita ſocialis reſtauretur, commercia diſturbata redintegrentur &c. de quibus poſtea in cauſis inſtitiæ.

* 5. Naturalis, humanaque agendi ratio ſuadet, ut omnis magni negotii primordia a bonis verbis, & ab amica perſuaſione capiantur, minæ, vis atque coactio in ſubſidium mitioribus conſiliis non proficientibus, demum accedant.

* 6. Rationes in ſequentibus afferentur.

* 7. Propriæ enim civitati peculiaribus pactis, & ratione ipſius regii muneris, ad curam atque ad tutamen præſtandum tenetur: reliquis autem vicinisque tum demum, ſi apud ſuos cives boni rectoris & conſervatoris officio iam defunctus eſt. Neque vero alias cum *fructu* aliena tractat, qui popria male gerit. Qui propriæ domui non bene præeſt, dicitur in ſacris, nec eccleſiæ Dei recte providebit. Res domi enim bene compoſitæ, ſunt quaſi fundamentum, cui utilis atque proficua extraneorum cura ſolide ſuperſtrui poteſt. Nec enim diu peregre circa extera hærere poteſt, quem rationes domeſticæ perverſe ſupputatæ, ad ſua redire iubent.

* 8. De quo pluribus deinde in temperamentis arbitrii.

Nam pacis emolumenta, atque utilitatem abunde in præcedentibus recenſuimus, & demonſtravimus. Atqui ab hac demonſtratione ipſius arbitrii laudes utilitatis pendent. Nec enim utilitate finis in tuto collocata de mediorum uſu amplius dubitare licet, cum finis mediis cum ſuas laudes, tum reprehenſiones quoque ſuas, pro re nata conciliare ſoleat. Nec eſt, quod forte, quis arbitrium noſtrum pacis remedium eſſe negare, atque ita, ſi illud ex verorum mediorum claſſe expunxerit, uſum ſive utilitatem eidem abiudicare velit. Siquidem ab omni ævo ſatis conſtat, quod ope huius arbitrii plura gravia bella ſopita, ipſique belligerantes ad pacatiora conſilia deflexi ſint. Quam publicam praxin hodienum frequentior experientia teſtatur, & imposterum comprobatura eſt. Imo prope abſonum dictu videtur, arbitrium, ut ſuppoſuimus ſecundum prudentiam pacem promovere volentem, ſuaque potentia ſuffultum promovere valentem, operam ſuam inutiliter pro communi pacis bono collocaſſe. Nam ſi valuit, atque voluit ſerio agere, ſine effectu agere nequidem potuit. Interim Arbitrii noſtri uſum oppugnandum, ſibi non ita pridem ſumſit ABBAS SANCTI PETRI, quo remoto, abiectoque hoc pacis remedio, Syſtema unionis unice & ſolum thronum conſcenderet, & exinde orbi univerſo ius redderet iuſtitiamque ordinaret. Initio monet æquilibri arbitrium non impedimento eſſe bellis futuris, nec hæc avertere (2) nec tollere belli cauſas, hominumque affectus ad bella pronos, (3) nec litigiorum per arbitrium, ſemel compoſitorum, aut deciſorum, executorem, vel conſervatorem adeſſe. Vnde (4) fieri, ut pleraque ſine uſu, ſine duratione inter gentes conſultentur, perque æquilibrii arbitrium concludantur, defenſore ſcilicet aliquo nec exiſtente, nec contra audente. 5) Imo arbitrum non raro ipſum, propriis neceſſitatibus belliſque, quominus æquilibrii curam habere poſſit, diſtrictum detineri (6) Bella poſt tot æquilibrationes frequenter exorta, quam parum ſecuritati communi æquilibrii arbitrio proſpiciatur, ſat aperte evincere. (7) Si vel maxime concederetur, per æquilibrii arbitrium, aliquatenus adverſus bella externa principum inter ſe metuenda, medicinam

parari,

parari, in aprico tamen eſſe, quod rebellionum & ſeditionum, adeoque bellorum civilium ſemina & pericula, nullo modo eiusmodi arbitrio tollantur. (8) Merito quoque circa æquilibri arbitrium, quietis in ſpeciem ſemel partæ, certitudinem, atque conſtantiam deſiderari. Facile enim regna ſemel æquilibrata creſcere, ſucceſſu temporis, aut decreſcere, proindeque totum æquilibrium deſtrui, atque immutari. (9) Eo ipſo, quo rationes æquilibrii ſæpius turbantur, fieri, ut commerciorum continuationi parum præſidii exinde accedat. Tandem (10) conſtitutionem & conſervationem æquilibrii, longe magis ſumtuoſum, quam unionis ſocietatem remedium eſſe, imo unionem, quoad omnia hactenus allegata capita, arbitrio, præferri debere.

§. III. Enimvero totus hic Abbatis ſermo ſimillimus eſt, ſequenti contra medicamenta noſtra uſitata, facile conficiendæ orationi. Medicamenta, quis laudet, quis cum Aſſyriorum amomo, quod homines immortales reddit comparatum eat. Initio medicamenta noſtra non avertunt peſtem, vel aliud contagium in futurum ingruens, latiusque ſerpens (2) medicamenta non tollunt omnem materiam peccantem, humorumque corruptionem, ſed morborum cauſas, & ipſam præcipue mortalitatem etiam poſt crebram propinationem, in hominibus relinquunt. Nec (3) medicamenta licet aliquando vim morbi ceſſare faciant, atque hominem aliqualiter priſtinæ ſanitati reſtituant, aliquem medicum huius ſanitatis perpetuum cuſtodem, ſponſorem, & conſervatorem comitem habent. Quare (4) proh dolor! medicamentorum curæ tantummodo palliativæ ſunt, nec in perpetuum miſeris proſunt. Audiuntur querelæ de febribus recidivis, quibus ſæpius mortales ſuccumbunt, toto apothecariorum apparatu non obſtante, fruſtraque implorato. Imo & illud (5) a quibusdam non immerito contra medicamenta adducitur, quod aliquando ipſe medicus lecto defixus, morbisque acutis vexatus, ægrotum accedere, eique ſuccurrere prohibeatur. Vlterius (6) tot morbi, tot contagia, ubique exorta, omnique ævo nota, iuſtiſſimas adverſus medicamenta querelas excitant. Imo quamvis (7)

forte

forte ſint, qui contra malam aëris temperiem, ſibi ſatis feliciter medicamentorum uſu proſpexerint, aut eorundem potatione ſæpe reiterata, contra toxica extrinſecus hauſta profecerint, longe tamen plures ſunt, qui interno, pravo corporis habitu in dies latius ſe diffundente, partesque ſanas trahente, contabuerunt, mortemque oppetierunt. Nec illi (8) a vero aberrant, qui inter artis medicæ defectus curationum inſtabilitatem durationemque exiguam, recenſent. Vel (9) id quoque medicis vitio dant, quod omnibus ſuis laboribus, non veram, & nunquam aliquando corrumpendam ſanitatem reſtituant, ſed ſolis dilucidis morborum intervallis, commerciorum conſtanti exercitio oppido noxiis, obtentis, acquieſcant. Tandem (10) frequentior & tot vicibus repetendus medicamentorum uſus, valde etiam ſumtuoſus eſt, ut proinde de laudato amomo, abunde in orbem invehendo divendendoque, miſeriis humanis funditus medendis, tandem aliquando merito deliberandum ſit, atque ſerio cogitandum. Sane nihil argumentorum hic mutavimus, & tamen quilibet, quam vane talia omnia perorentur, intelligit. Nam rebus in humanis, circa malorum emendationem, non optimum remedium, ſed illud, quod prudenter inveniri, haberique poteſt applicandum eſt, Cicero L. 1. de offic. ait: *ad rem gerendam, qui accedit, caveat, ne id modo conſideret, quam illa res honeſta ſit; ſed etiam, ut habeat efficiendi facultatem.* Practicabilia igitur fruſtra culpantur, atque impoſſibilia fruſtra laudantur. Deinde nec plane deſunt, quæ ſi obiectiones Abbatis non penitus redarguant, ad vim tamen illarum notabiliter infringendam, atque imminuendam conducunt. Nam (1) eſto, arbitrium noſtrum legale non tollere BELLA OMNIA in futurum, laudem tamen, nihilominus meretur, quod componat, vel avertat BELLVM ALIQVOD præſens, aut imminens. (2) Non exſtirpat quidem propenſiones, affectusque hominum malos, ſubtrahit tamen ipſis fomitem, atque nutrimentum, dum potentiam exorbitantem ad iuſtos limites reducit, nimium bellandi pruritum, vi & armis moderatur, vel etiam circa poſſeſſiones *in futurum vacivas*, aut hereditates obventuras, partes ad tranſigen-

ſigen-

ſigendum perſuadet. 3) Arbiter cum iis, quos ſocios aſſumſit ipſe curat, ne arbitria effectu deſtituantur, aut æquilibrium fruſtra ſtipuletur (4) ſufficit, quod quædam arbitria ſuccedant, atque ad metam perveniant. Quod autem interdum aliter eveniat, vel arbitri culpa, vel indeclinabile forte fatum ſubſit. (5) Si unus arbiter ad tempus deeſt, aderunt alii, nec enim arbitrium beneficium *monoculare* eſt. (6) Concedamus, non obſtantibus arbitriis multa bella orta fuiſſe. Sane, ſi arbitrium æquilibrii penitus ceſſaſſet, veroſimiliter oritura fuiſſent plura adhuc, aut plane ſervitus vicinorum univerſalis potentiori quippe, ni obex poſitus eſſet, in infinitum graſſaturo. (7) Contra ſeditiones, civiliaque bella, hodie in promptu principibus eſt miles perpetuus, ut hinc inde magis metuendæ ſint miſerorum ſubditorum oppreſſiones, quam eorundem rebelliones, aut ſeditiones, (8) Eſto: arbitrium nôn in perpetuum prodeſt, quis neſcit, quod etiam palliativam curationem, ubi pleniſſimi roboris recuperandi ſpes decollavit, grata manu accipiamus & laudemus. (9) Sufficiat, quod hactenus arbitrorum opera commerciorum uſus de tempore in tempus, alias ſi abſque hoc fuiſſet, vel plane periturus, vel in potentioris omnibus noxium monopolium degeneraturus, conſervatus & interdum reſtauratus fuerit. (10) Gentium libertas eſt res inæſtimabilis, ubi neminem ſumtuum factorum pœnitere debet. Imo etſi aliquando nimium magni ſint hi ſumtus, cogitandum eſt: *feras non culpes, quod mutare non potes.*

§. IV. Maior difficultas reſtare videtur circa arbitrii legalis, cum ex capite æquilibrii, tum quoque ex alia prægnanti ratione, per vim interponendi iuſtitiam. Nos, uti in quæſtione de utilitate factum, initio cauſas iuſtificas in medium proferemus, deinde, quæ in contrarium moveri poſſunt, una cum ſolutionibus noſtris additui. Quoad primum iterum diſtincte procedemus & boni ordinis cauſa in certa capita totum argumentum digeremus. In principio, quæri poteſt, anplane in genere aliorum litibus, atque bellis, & quidem vi armata ſe liceat immiſcere, atque arbitrium ſuum interponere. Secundo an ſpeciatim ſub prætextu æquilibrii tuendi conſtituendi,

endi, aut recuperandi idem tentare fas ſit. Tertio, an præter æquilibrii favorem inſuper aliæ cauſæ arbitrii noſtri exercendi iure gentium dentur, & ad quænam ſumma capita, hæ revocari, quibusque rationibus ſuffulciri, atque corroborari queant. Quod primum attinet, in eo facile omnes habemus conſentientes, quod per modum conſilii ac ſuaſionis amicæ principi quidem non tantum liceat, aliorum diſceptationibus, aque concer[illegible]ionibus, tanquam mediatorem intervenire, animosque exacerbatos prudenti ratione mulcere, ſibique invicem conciliare, ſed quod hæc opera plane laudem mereatur, atque per regulas communium officiorum humanitatis gentis erga gentem præcipiatur. Nec enim principes gentiumque rectores ſibi, ſuisque commodis ſolis nati ſunt, uti quidem Romanorum doctrina de ſtipulatione inſinuat, ſed magnam officii quoque partem ſociis, amicis, imo & aliis gentibus, cum communis humanitatis cauſa, tum communis Chriſtianiſmi nomine debent. Verum an vi & armis, amicabili arbitrio parum ſuccedente, compellendi ſint, qui meris verborum blanditiis, rationumque adductarum pondere non moventur, dubium videri poterat. Nos ſententiam aientem amplectemur, arbitriique legalis violentum complementum, pro virili tueri conabimur. Nam (1) iuris naturalis atque Gentium commendatio præcipue inde accerſiri ſolet, quod non tantum circa ſingulorum hominum, aut ſingularum univerſitatum utilitatem hæreat, verum magnæ illius reipublicæ, & ſocietatis, quæ omnes Gentes ſub ſuo ambitu complectitur, commoda ſimul reſpiciat, atque tueatur. (2) Vti inter cives eiusdem reipubl. lex legum eſt. SALVS PVBLICA SVPREMA LEX ESTO, SALVS SINGVLORVM SALVTI COMMVNI SVBORDINATA ESTO: ita quoque in gentium ſocietate pro fundamentali lege habendum eſt: SALVS PVBLICA HVIVS SOCIETATIS SVPREMA LEX ESTO, SINGVLARVM GENTIVM COMMODA HVIC SALVTI SVBORDINATA SVNTO. (3) Nulla etiam ſalus bello eſt, pacem omnes cives cupiunt in vita civili. (4) Nulla etiam ſalus bello inter gentes, pacem & gentes & illarum rectores cupere debent. (5) Fruſtraneæ in republica, propter humanorum affectuum pravitatem, fuiſſent

leges

leges naturæ (6) fruſtranea lex de ſalute publica, (7) inanes enim de belli noxietate, pacisque præſtantia obſervatio futura erat, niſi collatis in commune bonum conſiliis conſtituta fuisſet, illa regnum, principum, aliorumque magiſtratuum divina ordinatio, quæ hiſce vim & efficaciam, addit. (8) Eadem ratione Gentium iura, ſalus publica, pax & tranquillitas humana, vana & inania vocabula eſſent, ni legales arbitri darentur & concederentur, qui tam neceſſariorum bonorum promotores, & ſi opus ſit per vim aſſertores forent. Quis vero (9) ſive naturalis rationis principia cogitet, ſive ad ſublimiorem divinamque revelationem attendat credat, Deum ſanamque rationem hominibus quidem ſingulis inter ſe, de ſua ſalute, atque pace efficaciter, per introductionem civitatum ſummorumque Imperantium conſtitutionem, proſpicere voluiſſe: integrarum gentium curam autem abieciſſe, adeoque litibus in republica civilique ſtatu, ſæpius, ut dici ſolet de glande legenda, de rebus titivilitii ſuſceptis, per reges, perque magiſtratum reliquum, tam promptum, atque ſalubrem componendi modum præſcripſiſſe, Gentium vero controverſiis de maioris momenti cauſis enatis, non ſola pecunia, ſed tot hominum cæde, atque ſtrage conſtantibus, nullum plane exitum monſtraſſe, ſed effuſionem ſanguinis, terræque ipſius devaſtationem, perpetuam, atque æternam eſſe iuſſiſſe.

§. V. Sane alia omnia (10) ſuadent, utriusque iuris divini, atque naturalis meditationes. Hoc enim (11) non conſtituit finem, ſine mediis, aut metam ſine via ad illam perveniendi; adeoque pacis ſalutisque humanæ obtinendæ, ſervandæ, atque recuperandæ modos, horumque arbitros cuſtodes & executores, utique eſſe vult, quia pacem ſalutemque ipſam exiſtere & conſervari vult. Clarum etiam & perſpicuum (12) noſcitur in hanc rem decretum divinum, divinum enim numen principes eſſe voluit: *Sui regni officiales*. Regnum vero divinum non intra unius reipublicæ cancellos continetur, ſed per orbem terrarum patet. Vt (13) adeo princeps non tantum, quodnam ſui muneris ſit reſpectu ſuæ civitatis videre, ſed quidnam in univerſo illo regno divino, cum aliis principibus, tanquam col-

legis

legis, & ſymmyſtis ſuis ſibi ad pacem, cuius Deus, Deus eſt, ſtatuminandam agendum reſtet, ſedulo animadvertere debeat. Neque vero (14) gladius principi unice ad puniendos maleficos, aut hoſtes iam ante portas diſcurrentes abigendos, ſed etiam ad avertenda futura pericula, & ad tranquillitatem communem, ubique in gratiam piorum, quoad eius fieri poteſt procurandam, datus eſt. Imo (15) quo quæſo formula communis orandi in Eccleſia: Befeſtige und beſtändige unter uns und andern Orten den edlen lieben Reichs-Frieden / und ſegne alle gute Gedancken / und Rathſchläge aller hohen Potentaten, ſo zu deſſen Aufnehmen und Erhaltung abziehlen &c. tendit, quam, ut omnes boni, arbitris legalibus noſtris, qui conſiliis atque auxiliis ſuis cœleſte pacis donum, tam ſuis civibus, quam vicinis, vel in præſens ſalvum conſervare, vel læſum redintegrare, atque firmare, vel plane ſemel ademtum, reducere allaborant, fortunatiſſimum laudabilis ſui ſtudii ſucceſſum, atque benigniſſima fata apprecari debeant. Neque (16) illud prætereundum, quod bella rariſſime intra certum tractum, veluti concluſa maneant, ſed regulariter, omni vehementiora incendio, latius graſſentur, atque vicinos una ruina ſecum trahant. Imo (17) licet non niſi apud pauciores videatur eſſe, belli ſedes, mala tamen & incommoda, quæ perpetua bellorum conſectaria ſunt, ad plures omnino pertingunt. Præcipue (18) aliorum ſive in confinio habitantium ſive longius diſſitorum bellorum moleſtias, illi principes & reges, qui civitatum commercantium, negotiaque ſua longe lateque exercentium gubernacula tractant, abunde experiuntur. Vnde (19) non raro accidit, ut propriorum quoque civium ſtatus atque conditio, capiti ſuo legalis arbitrii munus iniungant, & domeſtica neceſſitate ita poſcente, ſi mitioribus mediis nihil proficitur, violentiæ inſtrumenta, armaque militaria ſubminiſtrent. Vt taceam (20) quod ſicuti divites in mundo eapropter adſunt, ut pauperum indigentiæ ſubveniant: ita quoque potentes magnique principes, ideo ad id faſtigii a Deo evecti eſſe videantur, quo aliorum non æque benevalentium nutationi ſuccurrant, atque vim ulteriorem belli, quæ adhuc imminebat ab ipſis amoliantur. Neque vero

(21) uſus gentium circa hoc arbitrii inſtitutum deeſt, ut deinde oſtendemus, fuerunt enim ab omni ævo, qui tacito gentium conſenſu, occaſione ſe offerente, inter bellantes interceſſerunt, paciſque conſiliis, aut verbis, aut etiam vi locum effecerunt. Nec (22) ſapientum effata ex longinquo quærenda ſunt. Sic THEMISTIVS in oratione ad Valentem: *reges, quales exigit ſapientia, non unius ſibi creditæ gentis habere rationem, ait, ſed totius humani generis, non Romanorum, non Macedonum, ſed hominum amantes.* PLATO puniendum cenſet, *qui vim alteri inferendam non arcet.* Ex mente VELLEII *Lib. II. illi ſe debent aliorum bellis interponere, qui non parentem cogere poſſunt.* Præcipue Chriſtianis HVGO GROTIVS commendat, *ut Chriſtiani cum unius corporis membra ſint, alii aliorum mala perſentire debeant.*

§. VI. Audiamus nunc, quæ in contrarium afferri ſoleant. Ne vero tumultuarie & paſſim argumenta ſua adverſarii nobis obiiciant, demus iis advocatum facundia & eruditione quondam celebrem IOANNEM HENRICVM BOECLERVM. Hic initio adducit, quod ad iovem tantum, non ad Diomedem, vel alium pertineat imperio finem imponere bellantium diffidiis, huius eſſe pro auctoritate dicere:

Vlterius tentare veto.

Nec (1) (2) temere cuicunque ad faciendum vires ſunt, idem facere licere, niſi Imperii iure præſit digladiantibus. Nec (3) tantum pacis favorem eſſe, ut quilibet de plano bellum gerentes, ita affari queat: *conquieſcite ſtatim & pacem agite, aut vim utrique veſtrum adhibebo.* Nam (4) talem pacificationem inter ea eſſe, quæ fieri non poſſunt, multa ſiquidem eſſe, quibus pax egeat antea diſcuſſis confectiſque, Alexandri gladio non undique ſufficiente. Neque (5) molliorem iuſſum: *pacem facite, rationi & æquitati conſentaneam, aut vim expectet, quicunque iuſtas conditiones repudiat*, adhibere licere, niſi intra minas ſubſiſtat. Dei enim eſſe Jani templum aperire, claudere, nec fas eſſe in illos, qui iudicem non habent, vim exercere velle. Nec (6) illum penitus excuſari, cuius hæc arbitrii ſumma eſt: *Veſtra diſſidia meis utilitatibus intercedunt,*

mul-

multisque meam rempublicam, & magnis detrimentis afficiunt. Hinc ius meum, revocare vos a diſſidio, & ſi ſequi non vultis trahere. Nam hic alterutrum diſceptantium apte regerere poſſe: *nulla ratio iuvat ius ſuum in alieni iuris diminutione collocantem Nos, ſuum quisque ius perſequimur: tu obtentu iuris tui nos vis impedire, quominus conſequamur ius noſtrum. Si noſtri iuris diſceptatione tua læduntur commoda; nullo id noſtro conſilio, adeoque nec noſtra culpa fit, nec tuis utilitatibus invidemus, nec intercedimus.* Nec (7) arbitrii cauſam probari, ſi quis ita argumentetur: *qui ſpernit auctoritatem pacem ſuadentis & æquas iuſtasque conditiones oſtendentis, ille iuſtitiam offendit & iuſtitiæ patronum, hacque ipſa offenſa & iniuria ad arma ſollicitat futurum arbitrum.* Etenim non ad omnem offenſam, mox ad arma proſilire fas eſſe, quemque ſummum Imperantem non ad alienum, ſed ad ſuum iudicium cauſarum momenta examinare, ſuoque iure, ſi ita viſum, ſua commoda ſuper alterius monita habere. Porro (8) in ſpeciem quidem adduci: *ſancta eſt, & communi pacis vinculo nexa humana inter ſe gentium ſocietas; quam violant, qui bella protrahunt, in hos proinde violatores, quemvis principem militem eſſe, ſi quod peccaverunt, emendare ceſſant.* Enimvero initio hanc ſocietatem primario ſuadere ſuccurrere infirmis, deinde huius dictata iuſtitiam cauſæ ſequi debere, non pro arbitrio, ſed ſpectato partium iure demum aliquid demere, aut addere, per vim autem adhibitam malum malo ſanari. Tandem (9) fruſtra quoque dici: *vim hanc arbitrii non hoſtilem & noxiam, ſed amicam, quaſi & ſalutarem eſſe.* Nam medicinam hanc modum excedere. Et qui iuſto bellum ſuum ſe putant perſequi, iniquum exiſtimant, ſe aliis quam mediis pacatis ad pacem trahi.

§. VII. Noſtrum nunc eſt, ut de ſingulis his obmotis dubiis diſpiciamus & arbitrium legale adverſus eadem in tuto locemus. Primo haud inviti concedimus ad Jovem, vel rectius ad divinam maieſtatem ſpectare regnorum huius mundi limites definire, quos ultra humana ambitio progredi nequeat. Neque vero hic opus erat, ad VIRGILII verſiculum recurrere,

 cum

cum ſacra, oracula apud Pſalmiſtam eadem reſpondeant: *usque huc, inquit divinum Numen pervenies, hic autem reprimentur, atque componentur tui ſuperbi faſtuoſi fluctus.* Sed ecquis neſcit, idem numen rariſſime miraculoſe rebus humanis intercedere, verum regulariter per cauſas, ut loquimur ſecundas agere, regibusque ut ſuis officialibus, atque inſtrumentis uti. Nec v. c. Judæorum rempublicam, vel igne cælitus immiſſo delere, vel chasmate ad inferos trahere, ſed ſervum ſuum NABVCHODONOSOREM *e longinquo advocare*, ut miniſteriali opera divini conſilii decreta exequatur. (2) Si cruentum bellum non ſine plurium detrimento immineat, ſi ſapiens atque potens princeps facile providet, tam communi tranquillitati, quam ſuorum civium ſaluti magnum periculum metuendum eſſe, item ſi belli exorſi flamma iam plura combuſſerit, & adhuc latius non ſine communis commercii diſpendio, graſſatura videatur, nec tamen aliud remedium, quam vis decretoria ſuperſit: cuilibet omnino potentium, tam periculoſo torrenti ſe opponere, pacisque curam & quidem cum efficacia habere licebit. Nam pacem cuſtodire, vel reſtaurare bonum utique opus eſt, atqui ad boni operis exercitium non requiritur ſpecialis vocatio, præcipue in ea ſpecie, ſi qui idem opus, vel meliori, vel eadem & æquali induſtria aggredi velint deſint. (3) Nec illud ipſæ legalis arbitrii rationes præcipiunt, ut initio ſtatim arbiter ignem & flammas veluti ſpiret, aut mox cum bellantium offenſa, pro imperio agat, ſed ut amice oſtenſis antea utrinque belli incommodis pacisque commodis, pacis conſilia commendet, neque niſi his aperte, diuque ſpretis demum duriora adhibeat. Jam vero pacis favor omnino tantus eſt, ut gradibus veluti admonitionis fruſtra præmiſſis, magis ſerio de ſufficientibus neceſſariis remediis cogitatio ſuſcipiatur. Nec (4) arbitrium iniuſtæ cauſæ patrocinium continet, verum arbiter unius partis iuſtitia evidenter cognita, huius cauſam pro poſſibili adiuvat, quod ſi vero res non amplius in eo ſtatu ſint, ut ſecundum communes regulas de meo & tuo, arbitrium fieri queat, eatenus tamen æquitatem ſequitur, quod neutram partem plane ſupprimi patiatur, ſed pacem conciliet, quæ

præ-

præſenti rerum facie non plane iniuſta, minimumque bello periculoſo melior videri queat. Vnde non quadrat huc Alexandri Ictus famoſum quondam inexplicabile vinculum, una cum nodo plane diſperdentis. (5) Quinta obiectio conſiſtit in mera repetitione primæ, addito, quod nequidem poſt æqua conſilia fruſtra tentata, violentiæ & armis locus foret, nec eos, qui ſuperiorem non habent, intra terminos cohibere & ad æqua acceptanda cogere liceret. Quaſi vero bellandi cupiditas, tam ante pacem, quam gentium ſalutem ſtare deberet, nec gentium reipublicæ aliquando intereſſet, ne gentium rectores rebus ſuis male & in perniciem aliarum gentium uterentur. Imo in præcedentibus ex hoc ipſo, quod liberæ civitates inter ſe unius imperio non ſubſint, deduximus arbitrii noſtri neceſſitatem. Alias enim, ſi viſibili communi capiti ſubeſſent, ipſi haud inviti, non ad arbitros, ſed ad huius imperium, coercitionem, atque decretum provocaremus. Neque vero arbiter hic in bellantes imperium affectat, ſed iſtos eo ſaltem redigere vult, ut animo alios oppugnandi, aut in perpetuum concertandi exuto, liberrima & a nemine pendente poteſtate actiones civium ſuorum moderentur. Modo alios, vel belli incommodis, vel metu exonerare velint; rerum ſuarum pro lubitu ſatagentes. Quod vero (6) BOECLERVS, ne quidem pro utilitatum commerciorumque ſuorum conſervatione, potentioribus mediante arbitrio *legali*, turbantes, aut turbaturos ad conſilia pacata trahendi, ius concedere vult: id aperte cum iis, quæ doctores iuris naturalis, de iuſta rerum iuriumque noſtrorum violenta defenſione recte tradunt, pugnant. Neque vero eſt, quod quis hic urgeat, alios quidem, ut actu res alterius regni non invadant, commerciaque illius in ipſa civitate turbent, arceri poſſe, ut vero ſimul a bellis, quæ inter ſe gerunt, aut geſturi ſunt, inſuper abſtineant, litigiumque ſuum transactione pacifica per arbitrum proponenda, componant, ad ea ſpectare, quæ æqualis ab æquali ſalva fronte expoſcere nequeat. Nam talia meditamenta haud obſcure privatorum ſortem, cum ſtatu ſummorum Imperantium miſcent, nec furunculi, aut latrunculi in privatas ædes ingreſſum, a vi

hoſtili, belliſque publicis, & quæ inde continuo metuuntur incommodis, ſatis ſecernunt. Vti enim ad patrisfamilias ſecuritatem regulariter ſufficit, ſurunculum, aut latrunculum clamore, aut teli oſtentatione, ab aſcenſione in tectum, vel in domum introitu cohibuiſſe: cum ſemel violenter abactum terroris recordatio non facile, ad nova facinora in loco, vbi conſilium minus ex voto ſucceſſit, tentanda, redire ſinat, nec patrisfamilias, qui mature furto, aut rapinæ interceſſit, adeo interſit, quid fur, aut raptor domi agat, aut quid penes alios novi ſceleris cogitatione ſubactus, moliatur: ita circa publicorum bellorum concertationes, res longe aliter comparata eſt. Nam bella non in *actu*, ſed uti recte GROTIO animadverſum eſt, in *ſtatu* conſiſtunt. Continuæ hic ſunt, quæ fiunt excurſiones, invaſiones & direptiones, cum in æquore, tum in terra continenti. Perpetuæ hic oriuntur lites de mercibus, e ſolo pacato alio[r]ſum transvehendis, an innoxiæ ſint, an alterutrius concertantium hoſtem inſtructiorem reddant, adeoque ad res prohibitas ſpectent. Vnde itinera & navigationes perpetuis prædationibus, latrocinio, piratarumque rapacitate infeſtantur. Vt nihil dicam de iuſto futurorum metu, ne ſcilicet ſenſim plures, ſive iure, ſive iniuria in partes bellantium trahantur, bellumque omnium in omnes oriatur, vel certe qui hoſtem ſuum debellaturus eſt, victoria deinde efferatur, novisque acquæſtibus ferocior, atque audacior factus, aut apud vicinos, aut in ipſo illius, qui vano *conſcientiæ* meticuloſæ ſcrupulo exercitus, a prudenti opportunoque arbitrio diutius ſe continuit, territorio, novas turbas excitaturus ſit. Idcirco ſummorum Imperantium ſecuritati minime gentium ſatis proſpicitur, ſi bellum hinc inde gerentes, vel tantum a portis ad tempus arcentur, aut ſolum pacatum ingreſſi, inde una atque altera vice eiiciuntur, ni belli fomes ſimul, qui facile novas flammas hinc inde diffundit, una cum favilla, quaſi reſtinguatur, prudentique & efficaci arbitrio intercedente, quoad eius fieri poteſt, materia combuſtibilis cum titionibus diſſipetur, atque e medio tollatur. Quæ quantum a furis, aut latronis alicuius depulſu diſtent, nemo non intelligit, adeoque

lega-

legalis arbitrii cauſam, cum ad futurum bellum avertendum, tum ad iam exortum componendum reſpicientis, nullo negotio tuetur. Illud vero minime ſtringit, quod BOECLERVS addebat: *ita arbitrum ſub ſui iuris conſervandi ſpecie, aliorum iura & titulos acquirendi, non ſine ſumma iniuria deſtruere, vel certe oppugnare.* Nam (1) arbiter legalis, nulla *ſpecie* utitur, ſed ex neceſſitate intervenit (2) non tam ſuum ius allegat, quam communem gentium utilitatem, belli incommoda, pacisque emolumenta (3) non ius ſuum aufert, evidenter id habenti regulariter, ſed ſi ſpes affulget fore, ut illud absque diuturna & in commune perículoſa diſceptatione conſequi, & ita bellum finiri poſſit, arbitrio ſuo petentem adiuvat. Quod ſi vero (4) præſens rerum facies pertinacem iuris perſecutionem, ipſi perſequenti diſſuadet, vel ſi metus ſit, ne arbitro non interveniente, etiam apparenter iuſtam cauſam fovens, præſenti adverſarii potentiæ plane ſuccubiturus, & ille hunc ad longe iniquiores conditiones, quam arbiter proponit, vel certe non ad meliores, in futura pacificatione adacturus ſit, vel ſi (5) ius de legalis arbitri inſolentia querelam moventis, anceps * atque ut, ut plurimum accidit, altioris indaginis ſit, quid quæſo (6) arbitrium legale de iure alterius detrahit? Si hoc præſens remedium tantum commonſtrat, quomodo absque ulteriori fatali belli alea, absque plurium hominum inani cruento ſacrificio, & absque ulteriori inutili pecuniæ profuſione, idem, quod ab adverſario, ſecundum præſentium circumſtantiarum moralem æſtimationem, non niſi poſt ſatis diurnam procraſtinationem, de dubio ſuo iure ſperare poteſt, incontinenti quaſi, modo arbitrum audire velit, conſequi queat. Numne præſtat ab arbitro extra partium ſtudia poſito, & non niſi ad communem, publicamque ſalutem gentium attento, accipere, & per hoc complacendi ſtudium, eius favorem in futurum ſibi oppignorare, quam belli ancipiti fortunæ, adverſariique cupiditati, in futurum rerum litigioſarum diſtributionem, ſolius belli amore relinquere. Cur quæſo

* Repeti tamen hic poſſunt verba ipſius BOECLERI: *ſi noſtri iuris* &c.

quæſo pertinax communis pacis favori dare noluerit, quo deinde forte nullius gratiam merituro, ad libitum victoris ſe abdicandum eſt?

§. VIII. Quod ſeptimo de ſpreta arbitri legalis auctoritate, quaſi exinde minus iuſta bellandi cauſa accerſeretur, a BOECLERO monitum eſt, id nec nos, nec argumenta noſtra, pro legali æquilibrio allata, ullo modo ferit. Nec enim huius arbitrii iuſtitiam in contemtu arbitri quæſivimus, nec eam ex capite iniuriarum factarum deduximus. Nam hoc nequidem ſatis apte fieri poterat, cum fundamenta iuris legaliter arbitrandi inter gentes, ubique ante cœptum arbitrium iam adeſſe, nec ex ipſa arbitrii tractatione demum ſubnaſci debeant. Scilicet præfatio amica arbitri & pacificæ transactionis tentatio, ad agendi modum, harum deinde repudiatio, ad fata quaſi, non vero ad cauſas iuſtificas, vel iuris arbitrium faciendi originem ſpectant. Vti v. c. in foro præcedens debitoris interpellatio, & huius procraſtinatio, aut ſolutionis detrectatio, ius crediti, actionemque non producunt, ſed tantum occaſionem præbent apud iudicem æqua poſtulandi. Quare longe aliis fundamentis arbitrium noſtrum paulo ante ſuffulſimus, atque corroboravimus. Competit arbitrio legali ius ſuum cogendi, licet contemtus contumeliæque abſint reſpectu bellagerentium, *illique modeſtiſſimo orationis genere utantur, ac non niſi ampliſſimo honoris præfamine præmiſſo, ab ulteriori concertatione violenta* abſtinere recuſent. Non enim de mera civilitate ſplendidoque verborum apparatu, non ſatis decore obſervato, aut de læſa tantummodo agendi condecentia & elegantia, ſed de ſalute & tranquillitate, cum communi, tum quoque hujus vel illius gentis peculiari turbanda, aut turbata, hic diſceptatur, adeoque ab arbitrio, non illi, qui morum urbanitatem non ſatis curavit, ſed qui vim & arma minatur, atque uti ipſe quietis impatiens eſt, ita & aliis aliorumque commerciis, eandem invidet, dies dicitur. 8. Ita eſto, ut BOECLERVS contendit, ſocietatis humani generis ratio imperantibus præcipit, ut (1) imbecillioribus validiores ſuccurrant, (2) ut non pro lubitu prout affectus ſuggerunt, cuilibet diſceptantium, quodlibet ſine

omni

omni iuris ſpecie demant, aliis autem viciſſim addicant. Sane nec alium arbiter noſter ſegerit. (1) Minus potentum cauſam agere (2) ad iuris naturalis dictamina de meo & tuo inter partes reſpicere, ipſi regulariter pro norma eſt. Sed annon quæſo (1) duplex noſcitur ratio ſtatus ordinarii & extraordinarii? annon (2) duplex inde oritur ius, ordinarium ſcilicet & neceſſitatis extraordinarium. Annon (3) & in uno civili imperio, aliquando ſalus huius, vel illius ſubordinanda ſaluti civitatis communi, & inde temperanda? Annon (4) omnia magna exempla, quod ſi ea ad ſtatum ordinarium refers, aliquid iniquitatis habent, quæ tamen, ſi ad rationes ſtatus publici, præcipue neceſſitatis extraordinariæ exigitur, & ſecundum illas expenditur, utilitate communi compenſatur. Nec quæ BOECLERI querela eſt, hæc medicina modum excedit, ſiquidem & ſecundum artis medicæ regulas, gravitate mali ita expoſcente, aliquando cauteria, imo abſciſſio partis alicuius, quo totum corpus ſervari poſſit, adhibentur. Quod vero ſua opinione, iuſta bel a parantes ad pacem, non niſi mediis pacificis duci velint, ad ea vota pertinet, quæ tamdiu attenduntur, quam diu per ſalutis communis neceſſitates, non aliud ordinatur.

§. IX. Sequitur nunc ſecunda quæſtio, de iuſtitia legalis arbitrii, quod ex æquilibrii conſervandi ratione ſpeciatim interponitur, & ſi opus eſt, etiam vi defenditur. Sed rem ab ovo repetamus. I) Noſcimus, quod corruptæ humanæ naturæ hæc indoles ſit, ut regulariter quilibet ſuis rebus, ſuæque exiſtimationi ſingulari, nec non ſuis commoditatibus, aliquid addere, alteri autem circa eiusmodi bona aliquid detrahere, adeoque ipſi nocere, velit II) Hæ cupiditates tanto facilius & vehementius ſe exerunt, quanto maior adeſt, externa licentia, quantoque remotius ab aliquo moderatore, ſive rectore homines agunt. III) Hinc facilius illis abripiuntur ſummi Imperantes, quam unius civitatis cives, quibus non tantum curta domi ſupellex, ſed inſuper leges & ſuperior legum executor anguſtius agendi ſpacium circumſcribunt, & perpetui obſervatores ad latus quaſi adſtant. Cum IV) viciſſim ſummi imperantes, ſolo defectu potentiæ domeſticæ, ne aliquid con-

tra vicinos audeant, cohibeantur, nullo autem ſuperioris in republica ſua imperio contineantur. V) Adeoque privatis duo obſtant, ne pro lubitu agant, ſummos imperantes vero, non niſi unius propriæ impotentiæ impedimentum remoratur. Itaque VI) hoc unicô, per ſufficiens potentiæ incrementum ſublato, cum VELLE ſe ipſum exaltandi aliosque deprimendi iam adſit, nunc autem & POSSE accedat, nihil amplius, ad executionem affectus ambitioſi deeſt. Sed eiusmodi potentior princeps VII) prout voluntas, atque poteſtas ſuggerunt, actu quoque latius graſſatur, aliosque infra ſe, & ſe *1. ſupra alios ſive volentes, ſive invitos conſtituere laborat. Porrò VIII) quoad invitos faſtuoſos hic labor, non aliter concipi poteſt, quamſub ſpecie belli. Nam IX) pauciſſimi iugum ſubeunt volentes, e contra inviti plurimi. Igitur X) ut plurimum ab eiusmodi potenti, non niſi bellum expectari poteſt. Bellum autem XI) bellum ferit, nec aliter quam adverſarii bello reprimitur. Quare XII) ubi nimium excrevit potentiæ inæqualitas, ibi continua bella, ubi vero XIII) mutua potentiarum æqualitas, ibi potentia potentiam cohibet, ſiſtit & rem ad eum ſtatum quietis reducit, ac ſi neutra ex parte, potentia bellum auſpicandi, adeſſet. Sed quomodo XIV) hæc potentiarum exæquatio obtineri poteſt, niſi efficaciſſimo æquilibrio? Ergo tandem XV) eadem erit pro pace obtinenda æquilibrii, quæ ipſius huius exæquationis neceſſitas, quæ neceſſitas eidem æquilibrio iuſtitiæ quoque ſpeciem conciliat, de qua hactenus quæſitum. *2.

§. X. Agnoverunt huius noſtri æquilibrii neceſſitatem, cum Rex Henricus, tum Abbas in ſuis ſyſtematibus unionum. Nec enim unionem aliquam durabilem fore crediderunt, niſi fun-

*1. Naturæ humanæ teſte THVCIDIDE inſitum eſt: *potentiores velle dominari imbecillioribus add.* HVBER. *hiſtor. civil. p. 4.*

*2. Ceterum ad hunc § pertinet ſapientiſſimæ ELISABETHAE Brittonum reginæ gravis oratio, qua auxilia Belgis contra Hiſpanum miſſa tuetur *p. 284. 306. 315. 458.* apud CAMDEN. Indicat arbitrii neceſſitatem illud CAESARIS; *unum tempus eſſe de pace agendi, dum ſibi uterque* CONFIDIT & PARES AMBO *videntur*. Nondum ſcilicet everſo æquilibrio, imo & GROT. *L. II. c. XXIII.* Druidum apud Gallos arbitrandi veterem poteſtatem ipſe laudat.

ſundamenti loco ſummis imperantibus pro poſſibili dominationes aſſignarentur æquales. Nec aliter cenſuerunt veteres, nec aliud remedium pro potentiorum auſibus, ne minus potentes ſibi ſubiicere, atque ita in tantum ſuas ditiones augere, ut omnibus formidini, multis exitio eſſe poſſint tentent, refrenandis, quam fere ſolum æquilibrium commendarunt. Imo in civitatibus quoque democraticis, quarum gubernandi forma, proxime ad indolem magnæ illius reipublicæ, in qua ſummi Imperantes inter ſe agunt, accedit, experientia rerum magiſtra cives docuit, quam periculoſa ſit, unius civis præ reliquis nimia eminentia. Quare, ut hoc incommodum, una cum pluribus, quæ inde ſequi ſolent evitaretur, Lacedæmonii olim oſtraciſmum ſuum introduxerunt, cuius inſtituti ſumma eo redibat: *nemo unus civium ſolus excellat.* Inter gentes *1. Europæas eadem opinio obtinet. Nam cur Europam quæſo ſub ſpecie libræ ſibi ſiſtunt politici, cuius examen Anglia ſit, niſi quod & Europæ ſalutem prudentis æquilibrii exercitio conſtare exiſtiment. Eſt vero non tantum ſumma æquilibrii neceſſitas, ſed etiam non ſpernanda utilitas. Nam æquilibrium mature exercitum belli futuri calamitates avertit, præſentis & iam veluti ardentis miſeriam finit. Quot quæſo provinciarum devaſtationi, quot urbium everſioni, non obviam itum, quantæ ſanguinis effuſioni, nunc hinc inde vix evitabili, & crebrius reiterendæ, non parci potuiſſet, opportune quondam adhibito æquilibrio? Præter communem gentium rationem ſtatus, huius quoque, vel illius principis peculiariter intereſt, ne a vicino nimiis ſive acceſſionibus, *2.

*1. TESMARVS *ad L. II. c. 1. §. 17.* GROT. *Negat auctor & negabit potentiam alterius, nimiam ſcilicet, belli cauſam eſſe, interim gentium praxi hoc eſt contrarium, ut e Græcis & Romanis ſcriptoribus demonſtratur.*

*2. Scilicet in æquilibrio non de iuſtitia acquiſitionis, an iuſte captum, an raptum iniuſte, verum de inſtanti imminentique publicæ tranquillitati periculo diſputatio eſt. Vnde in hac controverſia inter acceſſiones legitimas, iureque v. c. delatas hereditates, & inter belli iniuſti acquæſtus non ſemper diſtinguitur, cum a NIMIO par ſit metuendi ratio. Nec enim intereſt gentium nimis potenti vicinarum, quibus inſtrumentis opprimantur

ſive acquæſtibus locupletato, atque ita aliorum ſpoliis ſemel aſſueto, eandem ſortem, quam reliqui iam in ſervitutem redacti ſubierunt, experiri iubeatur: in tempore providere, principiisque ipſis obſtare, ne fruſtranea aliquando ſit medicina ſero parata. Imo non ſibi tantum, vicinisque gentibus, ſed propriis etiam civibus, ſi eorum perſonas, atque bona in tuto conſtituere velit, æquilibrii conſervationem bonus princeps debet. Miſera enim conditio civium eſt, cuius res imperantium negligentia, in eum ſtatum adductæ ſunt, ut pax & tranquillitas civitatis, toties ab invidenda vicini potentia turbari queant, quoties huius ambitioni, partis ſemel nimiis viribus abuti, finitimorumque patientiam exercere, placere commodumque videri poſſit.

§. XI. Interim his non obſtantibus ſunt, *1. quibus æquilibrii nomen odioſum, & potentia validior, nimium excreſcens minus idonea iuſti belli cauſa videtur. Argumenta afferuntur varia, quæ notabilem iuſtitiæ ſpeciem oſtentant, & quantivis pretii eſſe videntur. Primo *dicunt*, vetus lex eſt: ſuum cuique tribuendum eſſe. 2) Nemini invideri debere iuſtum incrementum, quod ipſa fata ei non invideant 3) uti in civitate, divina quaſi providentia conſtitutum, ut pauperes divitibus miſceantur, ita non abſimilem, quoque inter gentes potentiorum minusque potentum differentiam æquo animo ferendam. 4) Gentium eadem officia inter ſe eſſe, quæ hominum ſingulorum, aut concivium actiones moderantur. Atqui 5) in civitate nemini per concivem ius quæſitum auferri, ſed quemlibet alterius exemplo, atque induſtria tantum ad parem rerum ſuarum curam, paremque iuxta alios diteſcendi diligentiam, qua non parum commune totius civitatis robur augetur, & adverſus hoſtes inſtruitur, excitari debere 5) iuſti belli non niſi unicam, quaſi cauſam eſſe, iniuſtam ſcilicet læſionem eius, qui arma capeſſere cogitat. Ab omni 6) ratione æqui-

mantur, ſed tantum ne opprimantur. Vti privati hominis non refert, an iuſto pretio empto enſe, an alii per furtum ſubducto gladio vulneretur, ſed ne vulneretur

*1. *Confr.* GROT. *L. II. c. 1. §. 17.* PVFEND. *L. VIII. c. VI. §. 5.*

æquitatis adhorrere, non propter vim perpeſſam, ſed propter vim pati poſſe tantum, alteri vim inferre velle. Adverſus 7) incertos metus a divina providentia & ab innoxia cautione, non a vi bellica præſidium petendum eſſe. Incerti 8) periculi futuri ſuſpicionem, id quidem ſuadere poſſe, ut mature tibi præſidia circumponas, non ius facere, ut prior vim adhibeas. Qui hactenus 9) nondum læſit, de eo & impoſterum, quod intra officii ſui limites ſe contenturus ſit, merito præſumendum. Certe 10) utilitatem noſtram, non niſi impudenter cum neceſſitate miſceri, atque ex illa, idem ius in res alienas, quod hæc aliquando concedit, perperam deduci. Enim vero hæc omnia tanti non ſunt, ut legalis æquilibrii arbitrii defenſionem deſeramus. Primo enim ſuum merito cuique relinquitur, quamdiu ſalutis pacisque publicæ, lex non aliud ſuadet, hac enim in diſcrimen adducta, non inique meum &. tuum iuſtis limitibus coercentur. Iam vero per nimiam gentis alicuius increſcentem potentiam, non tantum pacis communis rationes turbari poſſe, ſed ab omni ævo ſæpius turbatas eſſe, quis negare, atque inſimul, quod ſpes ſit impoſterum aliter cum rebus humanis actum iri, quis affirmare poteſt? Deinde 2) increſcenti potentiæ obicem ponere non cum fatis lucta, ſed propriæ ſecuritatis neceſſaria providentia eſt. Neque nefas habendum etiam iis, quæ a fatis permittuntur, malis remedium afferre. Alias enim nec medicinæ contra peſtem a fatis immisſam innocens uſus eſſet, nec bello deo permittente, contra nos excitato, vis & arma ſine vitio opponerentur. 3) Inſtitutum vitæ civilis immane quantum, a laxo illius reipublicæ omnium gentium nexu differt, ibi facile pauperibus contra divitum iniurias apud magiſtratus præſidium eſt, vel certe eſſe debet, ſed gentium ſecuritatem, quis curabit, ſi prudentem æquilibrii arbitrum demis? Atque hoc ipſum diſcrimen 4) haud obſcure oſtendit, quomodo temperanda ſint civium inter ſe officia, ad integras gentes applicanda, præcipue in quæſtione de iure defenſionis. Nam ius belli privati defenſivi, quaſi in momento conſiſtit, nec ultra illud tempus, quo iudicis copia haberi non poteſt, extenditur. Idque ex iis ratio-

tionibus, quod periculum remotum per implorationem magiſtratus avertendum, nec, ubi iudicis auxilium haberi poteſt, quicquam vi a ſingulis tentandum ſit, ne detur occaſio maioribus tumultibus: item, quod ſinguli homines, ſi a ſingulis invaduntur, ex templo regulariter ſat virium in promptu habeant, quod opponant, & ſi in futurum aliquid metuatur, ſatisdatione a nocituro idonea exacta, privatorum ſecuritati proſpici poſſit. Quæ omnia aliter reſpectu gentium comparata ſunt. Nec enim hic a iudice aliquo præſidium, nec cautio ſufficiens facile impetranda, nec contra irruentem iam hoſtem, idoneæ copiæ mox parari poſſunt, atque cum ſucceſſu in aciem produci. Nec ex quo vis, oppugnaturi nimis excreſcit, cauſæ per negligentiam, quaſi ſemel lethaliter vulneratæ, remedium ab aliis quidpe, quibus eadem exorbitans potentia formidini eſt, petere licet. Expertæ ſunt veritatem dictorum iam olim Græcorum civitates, quæ poſt regis Philippi potentiam, ſemel ultra æquilibrii rationes ad faſtigium provectam, fruſtra ſervitutis iugum ſubire recuſabant. Læſionem 5) iuſtam belli cauſam eſſe nemo negabit, ſed primum veluti ictus exſpectari, minime debet. Nec defenſio violenta, prudenter in id tempus reiicitur, quo deinde morali æſtimatione, * impoſſibilis futura eſt. Inſuper læſio hic non tantum ea intelligi debet, quæ ante pedes eſt, ſed & illa, quæ in futurum moraliter certa eſt. Imo quis nominare poteſt, ſi antiquam hiſtoriam reſpicit, nimium potentem, qui aliis non nocuerit, cur ergo aliter & magis benigne, de hodiernis enormiter accreſcentibus potentiis iudicandum cenſet? Neque 6) propter ſolum incertum metum, quod nimium potens nocere, aut vim inferre poſſit, vis infertur & præſens ſtatus quietus turbatur. Sed ideo, quia nimium potens per augmentum ſuæ potentiæ, bellique acquæſtus iam ſubinde aliis nocuit, & quia certiſſimum periculum eſt, quod novo incremento, cui impræſentiarum inhiat, pariter in aliorum decrementum uſurus ſit.

7) De

* *Si un prince avoit toutes choſes a ſouhait il feroit bien de mal aux autres* dicit SVLLIVS t. IV.

7) De cautione iam diximus Ipſæ leges civiles cautionem: *fragilitatem cautionis* appellant, cui ſe committere parum tutum ſit. Vnde melius eſſe iudicant. *In tempore providere & integra pupilli iura ſervare, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere.* Si talia præſtant, plane in eo ſtatu, ubi communis magiſtratus litiumque iudex eſt, quid quæſo de illo ſtatu ubi pax publica incertior, nulla ſuperioris auctoritate atque præſidio nititur, cenſendum eſt? Quænam hic alia auxilia ſperanda, niſi quæ prudentis æquilibrii arbitrium ſubminiſtrat? 8) Fruſtra provocatur ad nimis potentis, qui nunquam læſiſſet exemplum, cum tale quid, non niſi in idea inveniatur. 9) Non ſola utilitas æquilibrii arbitrium ſuadet, ſed idem præcipit neceſſitas. Tandem non eſt, quod quis impoſſibilitatem alleget, quaſi ipſa veluti natura gentes ſibi invicem numero & robore inæquales conſtituiſſet. Nam legalis arbitri, ſive ex officio, ſcopus non eſt ima ſummis miſcendo præſentis ſtatus circulos turbare, verum, ſi nova rerum cataſtrophe imminet, & potentiori novos acquæſtus, vel defertur, vel per vim quæritur, ne v. c. Europæ æquilibrium nimium quantum concutiatur, prudenter proſpicere. Vltimo non obſtat arbitrii legalis noſtri ſive ex officio abuſus v. c. quod Aſſyrii, Medæ, Perſæ, Græci, Romani arbitrium gentium in quæſtu habuerint, nec quæ publicæ pacis ſunt, ſed quæ ſua fuerunt quæſiverint. Nam initio abuſus non tollit uſum alias, enim & iudicia tollenda eſſent, deinde arbitro æquilibrio abutente & in aliorum ſuppreſſionem trahente, novus arbiter opponendus eſt, qui aliorum ſubſidiis adiutus IN RECTO DECVS quærat, æquilibriique dignitatem decenter tueatur. Ceterum fiduciæ in Deum per defenſionem æquilibrii nihil decedit, ſed ipſum arbitrium, contra ambitioſorum molimina, contra gentium vaſtatores, a Deo ordinatum, inſtitutumque eſt. Ipſe Deus prudentes potentesque principes excitat, ut iis, qui in alias gentes dominatum intendunt, atque monarchiam univerſalem, ad divina reſervata pertinentem, meditantur more bonorum præfectorum regni alicuius, ſui ſuperioris iura contra factioſos tuentium, potenter intercedant.

§. XII.

§. XII. Tertio ſunt & aliæ ſpecies legalis arbitrii ſive ex officio, præter eam, quæ in iure æquilibrii fundatur. Redeunt ad duo capita generalia, vel enim futurum bellum cruentum avertendum declinandumque, vel id quod iam iam exarſit & pertinaciter continuatur, iterum reſtinguendum finiendumque. Vtroque caſu laudabilem ab arbitro operam navari, eiusque arbitrio ſuas iuſtitiæ rationes conſtare omnino exiſtimamus. Illuc potiſſimum ſpectant lites, quæ ſtirpe regnatrice in aliqua provincia ad unum, vel paucos, de quorum vivacitate, iam ſenio confecta, nulla potioris ſexus propago ſperari poteſt, redacta, inter futuros competitores non ſine ratione metuuntur. Vti enim principe numeroſa prole relicta decedente, propter certum atque ipſa lege *1. patriæ definitum ſucceſſorem, de diviſione hereditatis facile tranſigitur: ita viciſſim, ubi inclytæ atque præpotentis gentis ultimus, luctuoſo funere effertur, vix aliter, quam ſumtuoſis certaminibus ſepulchralibus, cruentisque bellis parentari, iuſtaque perſolvi ſolent. Neque vero cauſæ huius mali eminus quærendæ ſunt, ſed duæ præcipuæ ſe ſtatim offerunt cuilibet, vel leviter hac de re cogitanti. Scilicet opulentia hæreditatis, & maſcula ſtirpe extincta, iuris *2. ſucceſſorii incertitudo. Illa cupiditati hæredipetarum originem, hæc ſpeciem atque prætextum ſubminiſtrat. Vnde captatione hereditatum virorum orborum nihil fere uſitatius, violentisque poſt fata eorum conteſtationibus, nihil fere certius aut frequentius. Siquidem naturali propenſione homines cuiuscunque ſtatus, aut conditionis ſint, ad

---

*1. pertinet huc oratio BRVLARDI *apud* GRAMOND. *princ. hiſtor. Gall. Nusqam mori Reges in Gallia: Henrico in caſum dato, ſtare Ludovicum, cuius ſaluti proſpiciendum non lacrymis, ſed auctoritate & conſilio.*

*2 Incertitudinem iuris ſuccedendi ſatis indicant, 1) tot diverſa gentium ſtatuta 2) legum Romanorum hac in materia varietas, aliter *iure Pandectarum*, aliter *iure Codicis*, aliter ſecundum *Novellas* ſucceditur. Sola aſcendentium ſuccedendi ratio ter mutationem paſſa eſt, nunc plane excludebantur a fratribus, nunc ſoli, nunc in fratrum conſortio ſuccedebant. Vnde ſi princeps aliquis improlis moritur, tot prolixæ deductiones v. c. in cauſa Juliacenſi, Saxolauenburgica hereditate conſcriptæ ſunt.

ad lucra opima aucupanda feruntur, & quidem tanto vehementius, atque apertius, quo facilius avaritia iuris colorem quæſtuoſo deſiderio inducere poteſt. Loquuntur id omnis ævi annales ſatis evidenter, quotiescunque vacantium regnorum ſucceſſiones, illarumque fata deſcribunt. Vt in re minime dubia, teſtibus argumentisque non neceſſariis uti, ſupervacaneus labor eſſet. Itaque cum per rationes iuris gentium ad prudentes, potentesque principes ſpectet, bellorum imminentium malis opportune providere: hæc quoque cura, ut ad mox defecturæ familiæ maſculæ hereditatis ordinationem, quæ ſoli competitorum habendi cupiditati relicta, difficilem funeſtumque exitum valde apparenter habitura, pacemque communem non ſine inſigni plurium chriſtianorum clade, atque ſtrage, turbatura videbatur, reſpiciant, *3. matureque omnia ſapienti arbitrio moderentur. Egregium prorſus exemplum nobis præbet, glorioſiſſimi REGIS noſtri admiranda prudentia, quæ una cum confederatis ſuis magni ducis Hertruriæ, Parmenſisque principis, utriusque ſtirpe virili probabiliter, poſt breve tempus exaritura, futuram ſucceſſionem: alias ſi absque tam ſapientiſſimo arbitro fuiſſet, non niſi multorum ſanguine decidendam, tranſigendamque commodiſſimo & æquiſſimo conſilio ordinavit. Poteſt & hic ad conſuetudines Gentium, teſtimoniaque ſapientum provocari. Semper fere ab omni ævo peculiariter laudati ſunt principes, qui provida mente caſibus eiusmodi appropinquantibus, antequam belli turbine omnia commiſta abreptaque fuerunt, futuris malis avertendis promptum paratumque remedium attulerunt.

P §. XIV.

*3. Spectat huc GVILIELMI BRITTONVM regis, rege digniſſima circa futuram in regna ſua ſucceſſionem induſtria. Cuius effectum hodienum celebrat, atque inpoſterum devotiſſima mente celebratura eſt grata poſteritas. Sic & non minus præclaro laudabilique inſtituto, quondam imperatores Germaniæ, quo cruentorum alias circa electionem diſſidiorum occaſionem tollerent, proceribus ſuis certum regni ſucceſſorem oſtenderunt, atque deſignarunt.

§. XIV. Secunda arbitrii legalis interponendi cauſa eſt, vel unius bellantium, vel utriusque nimium contendendi, bellumque in formam artis perpetuo exercendæ, redigendi ſtudium. Scilicet ſunt aliquando principes, qui ex quo ſemel bello implicantur, tanta quaſi bellum producendi voluptate capiuntur, ut nullam paci mentionem audire, iræ ſuæ atque vindictæ cupiditati, omnem tranquillitatem pacemque gentium publicam immolare, aliorum, per peregrinas oras commercia ſua exercentium, utilitates perpetuo turbare, non niſi regnorum integrorum devaſtationes & everſiones continuo tentare atque moliri, imo tantum non ubique gentium ſumma imis miſcere, propriamque tandem civitatem ſimul cum adverſariorum Imperiis, una quaſi ruina trahere geſtiant. Sane uti nimia nocendi potentia, arbitrum meretur, qui eandem, ne ultra omnem æquilibrii menſuram excreſcat, in tempore cohibeat: ita quoque nimium nocendi deſiderium, ſive immoderata bellum trahendi voluntas, pariter eiusmodi arbitro eget, qui pravum aliisque noxium eius affectum temperet, atque moderetur. Eadem hic etiam recurrunt argumenta, quæ ſupra in generali quæſtione de iniuſtitia arbitrii expoſuimus ordine. Idem favor pacis, ſalutisque gentium publicæ & hic obſervatur. Neque obſtat, quod eiusmodi bellicoſus princeps ad iuſtitiam cauſæ ſuæ præcedentemque iniuriam ſibi factam provocet, & quod non aſſiſtendum ſit illi, qui bellum promeritus eſt, ulterius urgeat. Quaſi non videndum, quis pertinacior pugnet, ſed quis magis iniuſte arma induxerit. Nam 1) nos de eo loquimur, cui is, qui ipſum læſit, bonas pacis conditiones obtulit,*1. quas tamen acceptare noluit, ſed ultra potius tentare maluit, & 2) cum quo etiamnum hoſtes pacem ad præſentem rerum faciem attemperatam, inire volunt, ipſe vero 3) licet, ne quidem omnia recuperandi ulla probabilis ſpes affulgeat, ſed res ſuæ in dies magis peſſum ferantur, cedere plane recuſet, atque ſemper contra audentior ire paret, nulla cum ſuorum civium, tum extraneorum habita ratio-

*1. Conf. GROT. *L. II. c. 1. §. fin.* & *L. II. c. 23. §. 8. ibique* THESMAR.

ratione. In qua ſpecie iuſtitia cauſæ ipſa a pertinaci abiiſſe, & in partem adverſam tranſiiſſe videtur. Vt recte proinde interveniat arbiter, qui ad pacem, etiam cum renunciatione partis bonorum, quæ iam antea amiſit, nec veroſimiliter bello recuperaturus eſt, redimendam cogat alias forte non niſi cum aliorum detrimento, proprioque exitio bellum continuaturum. Atque hunc arbitrandi morem iam olim antiquus gentium uſus recepit, & approbavit, ut aliis animadverſum.

CAP. IV.

DE EO CVI DE IVRE LEGALE ARBITRIVM COMPETAT DEQVE IVSTIS ARBITRII LEGALIS TEMPERAMENTIS.

SVMMARIA.

§. I. *Cui arbitrium inter gentes competat, vel non competat per rationes iuris gentium.*
§. II. *De neceſſitate hoc arbitrium temperandi, atque temperamento primo.*
§. III. *De ſecundo & tertio temperamento.*
§. IV. *De quarto temperamento.*
§. V. *De ratione temperandi arbitrium quinta.*
§. VI. *De ſexto illud temperandi modo.*
§. VII. *De ſeptimo temperamento.*
§. VIII. *De octavo temperamento.*
§. IX. *De nono & ultimo arbitrii temperamento.*

§. I.

Certum principem, certamque rempublicam ius Gentium pro arbitrio hoc rite adminiſtrando non deſignavit. Cum ius hoc, ius commune ſit omnium gentium, nec privilegia certæ genti peculiaria diſtribuat, aut genti uni præ alia aliquid eximii concedat, vel prærogativam largiatur, cum aliarum nationum aliquali contemtu. Hominum ſuperborum ſunt eiusmodi gentium efficta diſcrimina, excogitataeque gentis, præ gente præcellentiæ, aut quaſi eminentiæ, non naturalis illius univerſaliſque iuris. Interim generalem regulam omnino tradit idem ius, ut ſcilicet aliorum rebus intercedat, *1. rector populi,

 qui

*1. *Conf. p. 11.* PVFEND. *p. 122. §. VII. in notis* BARBEYR.

qui 1) ſua domi bene compoſuit, quique 2) iis animi dotibus, fortunæque donis inſtructus eſt, ut non improbabili ratione exiſtimare queat, ſe a divina providentia, tam ſublimi muneri exequendo deſtinatum eſſe. Nam qui nequidem propriæ civitatis debitam curam habet, nec quæ domi agenda reſtant, antequam de alienis ſolicitus ſit, peragit, is ſi alienis tam parum præparatus, ſe ingerit non arbitrium legale, ſed illegitimam circa cauſas gentium curioſitatem exercet, cum propria ignominia, aliorumque detrimento. Nec aliter cenſendum de eo imperante, qui ſe, nec nativa res arduas dirigendi prudentia pollere, nec militum copia, nec nervo rerum gerendarum, ſine graviſſima ſuorum civium moleſtia, aut plane oppreſſione, ad tantum opus cum ſucceſſu aggrediendum, inſtructum apparere poſſe novit. Vtrumque hic requiritur & conſilium prudens, & magna potentia. Potentia enim ſine conſilio vix ad aliud valet, quam ad ſibi aliisque nocendum, neutiquam ad res perplexas inter iam armatos, iamque exacerbatos, provide atque feliciter componendas. Viciſſim conſilium ſine potentia exequendi ad amicam pacis conciliationem, aliquatenus *2. quidem facit, ſed ad tuendam contra pertinaces legalis arbitrii auctoritatem minime ſufficit. Vt nihil dicam de præſenti propriæ civitatis periculo, cui illam exponit rector, qui legalis arbiter impetuoſe apparere vult, nec tamen a diſſidentibus, ut tandem in pacis conditiones conſentiant, arte & marte contendere poteſt. Sufragatur nobis ipſa ſcriptura ſacra 1) huius loci eſt, quod 1. *Machab. V. v. 36.* refertur: „*Audivit Joſephus Zachariæ filius, & Azarias principes virtutis, res bene geſtas, & prælia, quæ facta ſunt & dixit: faciamus & ipſi nobis nomen & eamus pugnare adverſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. Et præceperunt his, qui erant in exercitu ſuo & abierunt* IAMNIA. *Et exivit Gorgias de civitate & viri eius obviam illis in pugnam. Et fugati*

*2 HENRY, dit PEREFIXE *p. 464. diſcernoit les entrepriſes faiſables, ou impoſſibles & celles qui etoient proportionées à ſes revenues car la depenſe, qui ſe fait au dela attirent les malediɛtions des peuples, qui ſont ordinairement ſuivies de celles de Dieu.*

gati ſunt Joſephus & Azarias usque in fines Judeæ: & ceciderunt illo die de populo Iſrael ad duo mille viri, & facta eſt magna plaga in populo. Quia non audierunt Judam & fratres eius exiſtimantes fortiter ſe facturos. Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Deinde 2) ad propriarum virium examen pertinet ſermo Chriſti LVCÆ XIV. v. 29. 31. ad diſcipulos ſuos: *Quis incipit turrim ædificare, ſumtibus antea non computatis. Ne poſtquam poſuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Aut quis rex iturus committere alium regem non ſedens bellum adverſus prius cogitat, ſi poſſit occurrere cum decem millibus, ei qui cum viginti millibus venit adſe.*. Et licet hæc directo ad eum, qui ſuo nomine bellum moturus eſt, a Chriſto non applicentur, attamen a ſententia Chriſti non diſcedimus, ſi eadem multo magis arbitro legali, qui magna ex parte aliorum cauſam agit, dicta putamus. Nec enim ratio diſcriminis ſolida oſtendi poteſt, quare arbitrii alieni partes, defenſione propria favorabiliores quaſi, vel rectius: minus prudentes eſſe debeant. Idem conſilium legitur: apud Livium: *cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque communem propone animo.* Cœterum hæ meditationes, non ſolius prudentiæ politicæ ſed ipſius quoque iuſtitiæ opus ſunt. Nam hæc ne cum aliorum gentium, tum propriæ civitatis ſalus, in temerarium periculum forte adducatur, cogitare iubet. Nec minori ex ratione inferiores ad recte obediendum quam ſuperior ad protegendum, ad rem in genere bene gubernandam, periculumque imminens avertendum tenentur. Nec futuræ, vanæ, incertæque gloriæ, præſentis, communis, certæque ſalutis cæſione quaſi, litandum eſt.

§. II. Atque ita examen ſtatus ſui, ſenſim deducit arbitrum futurum, ad meditationem de quibusdam temperamentis, circa prudens & æquum legalis arbitrii exercitium merito obſervandis. Nam non ſolum huius, alias per ſe egregii & tantum non divini muneris uſus, moderandus eſt; ex inſpectione dotium, fortunæque ipſius perſonæ, illud in ſe ſuſcepturæ, ſed & ad-

huc alia momenta ſunt, quæ ſuadent, ut multa cautione adhibita, princeps æqui rectique amans illud exequatur. Initio legale æquilibrii arbitrium ultimo pro fine habet, cum communem gentium, tum quoque civitatis ipſius arbitri peculiarem pacem, atque ſalutem. Ex quo conficitur primum arbitrii temperamentum, NE VLTRA RATIONES VTRIVSQVE SALVTIS PRVDENTER ET EX AEQVO SIBI IVNCTAE ATQVE SVBORDINATAE, VIOLENTVM LEGALE ARBITRIVM EXTENDATVR, SED SALVS HAEC VBIQVE ARBITRII SVPREMA LEX SIET. Præter arbitrii finem, accedunt adhuc & aliæ rationes. Primo enim arbitrium legale ſæpius non ſine vi bellica expeditur, iam vero bellum, non tantum ex opportunitate æſtimari debet, ſed præterea, non niſi ex gravi cauſa ſuſcipiendum eſt. Ceteroquin enim, etiamſi feliciter cedit, nihil aliud, *quam ſpectabile atque glorioſum ſcelus eſt*. Deinde arbitrium noſtrum non raro huic illive civitati, vel ſuum, vel quod ad ipſam ex non adeo improbabili ratione pertinet, aufert, cuius contra iuris nobiscum nati auſus, idonea & certa cauſa adeſſe debet. Scilicet regula eſt: ut non tantum, quod alicuius eſt ipſi relinquatur, ſed quoque, ut ipſi vis bellica, non niſi ab enormiter læſo inferatur. Arbitrium noſtrum autem quandam, tam utilis & perſpicuæ regulæ, ſub ſe exceptionem continet, quæ ſane ex alio fundamento, quam ex mero intercedentis arbitrio, inter bonos, ubi bene agiter oportet, merito defendenda eſt. Sed ex quonam quæſo id fieri poteſt, ſi gentium pacis ſalutisque cancellos aperto ſaltu quaſi quis contemnat, increpetque? Solus ſane nobiliſſimus atque maxime neceſſarius finis, mediis ſuis, caſu extraordinario aliquando in ſubſidium vocandis iuſtitiam, amabilitatem atque ordinem conciliat apud cordatos. Solius tranquillitatis ſecuritatisque pacis & honeſtorum commerciorum inter gentes ſervandorum, propagandorumque, iuſtiſſimus favor efficit, ut arbiter, vel nimium increſcentem potentiam, vel nimiam bellandi cupiditatem, etiam ſine præſenti illata iniuria, ne res gentium publicæ triſtiorem cum tempore ſortiantur eventum, ſalva iuſtitia cohibere poſſit. Quo in caſu oblato aliquo ceſſante, ſalutari iuris naturæ regulæ:

SVVM

SVVM CVIQVE omnino religioſe inhærendum eſt. Cœterum non intereſt, an gens aliqua ipſa nimium acquæſtui ſtudeat, adeoque potentiam ſuam, *adaugeat*, vel bellandi pruriginem nimis evidenter oſtendat, an forte aliquis rector gentium, inconſideratius, tam noxiæ gentis cauſam adoptet, pravoque conſilio tueatur.

§. III. Porro duo potiſſimum ſunt, quibus homines ad indignationem malevolentiam atque odia communia, adverſus eum, qui non rogatus inter alias cauſam dicere ſuſtinet, vel alienis negotiis ſe ingerit, provocari ſolent, faſtus nempe & avaritiæ affectus, ab eiusmodi interveniente arbitro non leviter oſtenſus. Ille in eo conſpicitur, ſi arbiter ſibi ſoli ſapere, ſuisque viribus ſolis confidere, omniaque inter gentes ſolus, non aliter ac ſi dictatorium imperium in ipſum e communi gentium conſenſu collatum eſſet, nec opus foret reliquorum rectorum civitatum ſuffragiis, ſuperbo & intolerabili auſu, auſpicari & ad finem perducere velle videtur. Avaritia autem tunc ſe manifeſte prodit aliorumque oculos perſtringit, ſi arbiter laudum ſuum ex lucro * ſuo dimetitur, atque tam ſpecioſe iactitatam favorabilis æquilibrii lancem, omnis recti decorisque oblitus, in ſuum commodum non inclinat, ſed plane detorquet. Omnia in ſpeciem communis cauſæ orditur, ſed eadem omnia in fine in quæſtum ſuum flagitioſum vertit. Ita, ut ſingula aliis erepta, non in prætextum aſſumto æquilibrio, ſed domeſticis lucris cedant, tantum pro ſcopo habens, ut non publicæ quietis amantior nec laudabilior, ſed propriis acquæſtibus locupletior factus, a ſalubri divinitusque ordinato arbitrandi officio diſcedat. Contra quæ impia tentamina, ſecundum arbitrii temperamentum præſens remedium affert. ARBITRIVM SCILICET NON INTERPONATVR PRO FASTVOSO IMPERIO, NEC

* Caroli V. glorioſæ memoriæ imperatori Galli apud SVLLIVM obiiciunt *quod non levi ratione arbitrium ſuum ex eo ſufflaminaverit, quod alios in partem quæſtus ægre admiſerit.*. Communi proverbio dicitur: *qui non vult habere, qui cum ipſo rebus proſperis gaudeat, non facile habebit, qui cum eo, rebus minus feliciter ſuccedentibus lacrymetur.*

NEC CVM ALIORVM GENTIVM TVRPI CONTEMTV, SEU VOCATIS AD COMMVNIA SVFFRAGIA ATQVE AVXILIA, CETERIS ETIAM GENTIBVS, QVÆ AD ARDVVM ET COMMVNE GENTIBVS HOC OFFICIVM NON SPERNENDVM MOMENTVM AFFERRE POSSVNT. Cui pro moderando quæſtus amore mox tertium moderamen, quaſi e veſtigio ſequitur: ARBITRIVM LEGALE NON DEBET AD SOLA PROPRIA COMMODA ATTENTVM ESSE, NEC RELIQVIS GENTIBVS FVCVM FACERE, SVB AVARITIÆ ODIOSISSIMO INVOLVCRO ATQVE TEGVMENTO. Nam ſin ſecus fit, ab eius acceptatione & tutamine arcentur, vel honoris ſui, vel opum ſuarum iuſti cuſtodes. Quod, quantacum ipſius arbitrii remora coniunctum ſit, vel parum rerum humanarum intelligens æſtimator, nullo negotio videt.

§. IV. Deinde arbitrium legale bellicum, ſi ipſum arbitrum eiusque civitatem ſpectes, nec moleſtia, nec periculo, ſi alios, quibus vi arbitrii intercedentis, vel provinciæ portione, vel inſigni aliquo iure, aut commodo carendum eſt, nec acerbitatis, nec duritiæ ſpecie vacat, imo inſuper aliquando, & pacatis belloque non implicitis, arbitrum ſuſpectum reddit: uti cuilibet rem apud animum ſerio expendenti facile conſtat. Nam 1) arbiter, qui arma capeſſit, utramque non raro diſſidentium partem contra civitatem ſuam excitat, vel certe 2) ſi non utriusque, minimum unius partis amicitiam, quondam civium ſuorum commodis utilem, offendit animumque a ſe alienat 3) Ærarium per bellum, arbitrii nomine gerendum exhauritur, ut pro tolerandis maximis belli ſumtibus ad tributa extraordinaria, non ſine maximo civium incommodo, atque inſigni moleſtia, redeundum ſit 4) Præcipue, ſi arbitrium ex voto ſuccedit, diſſidentesque ad laudum acceptandum præſenti vi adiguntur, reliqui civitatum pacatarum rectores attoniti, novaque rerum mutatione quaſi perculſi adſtant, invident, ſuſpicantur, indignantur, tandem aliquando plane iraſcuntur. Vnde quartum temperamentum exſurgit: ARBITRIO LEGALI, NON NISI OMNIBVS MITIORIBVS REMEDIIS ANTEA FRVSTRA TENTATIS, VIS ET ARMA SVPERADDANTVR. Sic enim 1) amici non habent iuſti odii cauſam, nec 2) quo-

quorundam animis forte alienatis, de aliorum favore deſperandum, nec 3) multis expenſis, adeoque nec ſubditorum querelæ de tributis, aliter, quam ex neceſſitate, nemini culpabili, locus eſt, nec 4) cives ſuperfluo onere gravantur, ſed ex debito, ad propellenda futura pericula, cenſum conferunt. 5) Si principes in pacato ſolo dominantes, quod geritur, ex neceſſitate, & ideo, quia pertinaciter concertantes, leniori modo ad ſaniora conſilia revocari noluerunt, geri vident, probabile eſt, quod iuſto ſuſpicionis, atque iracundiæ argumento deficiente, nihil amplius mali, cum tanta moderatione adminiſtrato arbitrio, ominaturi, nec ad quemlibet actum apparentem, animum vana rerum futurarum anxietate commoturi ſint. Interim & hoc temperamentum, non tantum ad prudentiæ monita, ſed ad iuſtitiæ plane præcepta referimus, quæ exigit, ut bellum non ſuſcipiatur, ubi citra propriorum alienorumque civium internecionem atque expilationem, quæ utique omni modo declinandæ, exortæ inter gentes ſimultates, & rixæ componi poſſunt.

§. V. Opus inſuper eſt, ne futurus arbiter malum malo curet, veterem belli fomitem reſtinguat, ſed ſimul in eius locum novam materiam, quæ facile ignem concipit, reponat. Quod potiſſimum hac ratione accidit, ſi 1) arbiter præſentium potentiorum nimias facultates non moderate circumcidit, ſed plane quaſi cædit & ſuffocat, ut vicinas harpyias, facile cupido ſubeat, reliquas etiam lacinias, dein nova occaſione affulgente, ſuſcepto bello, deprædandi, capiendique 2) Si ſpolia validioribus detracta, non prudenter diſpenſat, ſed uni vel alteri ſymmachorum, partem iuſto largiorem in prædam concedit, adeoque in ſua æquilibrii bilance, id quidem, quod antea libram ex una parte inclinabat, auferat, non tamen eo transferat, quo æquilibrii rationes ſuadebant, verum in lancem iam proprio pondere ſatis gravem, & eam, quæ æqualitatem, per arbitrium legale reducendam, facilè deinde, ita, ut denuo noviter aucta potentia præponderet, turbatura eſt. Quod profecto arbitrium, curatio ſalutis publicæ, ſecuritatisque gentium vera medicina, dici nequit, ſed ad magorum præſtigia-

torumque artes pertinet, quibus, ut vulgo ferunt, amuletis, ſuſurris, atque geſticulationibus ſuis, febres ab uno homine in alium transplantare ſolemne eſt. Poſſes etiam ſimplicius rem *efferre:* quod ſcilicet hoc non ſit genuinum æquilibrium conſtituere, recteque arbitrari, ſed cum publicæ quietis incommodo, ineptam verſuram facere. Igitur ut eiusmodi nævus ab arbitro evitetur, obſervandum ipſi eſt quintum temperamentum: IN ARBITRII LEGALIS EXERCITIO, OPERAM DATO, NE IN ADIMENDO, VEL ADDENDO, QVOAD EIVS FIERI POTEST, POLITICI AEQVILIBRII STATERA TRANSILIATVR.

§. VI. In omni negotio duo inprimis ſpectari debent, agendi neceſſitas, & agendi opportunitas. De priori ſatis circa arbitrium noſtrum dictum. Eſt tamen & poſterioris, ſi non maior certe non minor cura habenda. Magna vero opportunitatis pars, in maturatione prudenti ſita eſt. Nam 1) ſi a partibus non tantum ſemel ad arma ventum, ſed per notabilem temporis tractum iniuriæ utrinque illatæ crebrius diffidentium animos exacerbarunt difficillime ulciſcendi cupiditati obviam ire, partesque ad reconciliationem, quæ ſi ſtatim initio & ante cumulatas iniuriarum cauſas, non adeo magno labore forte obtineri potuiſſet, perſuadere licet. Deinde 2) inter omnes conſtat, quod etiam avariſſimi mortalium minori animi ægritudine in futurum quærendis renuncient, quam iam quæſitis poſſeſſisque ſe abdicent, multum quidpe inter rem & ſpem merito intereſſe rati. Vnde conſequens eſt, quod ſi arbiter in ea ſpecie, ubi futurum principum improlium fatum, inter diverſos gentium rectores diſceptationis materiam præbere poteſt, in tempore de commoda inter partes diſtributione cogitet, nec usque eo, donec aliquis competitorum vacuam poſſeſſionem apprehenderit, expectet: utiliorem operam navaturus ſit, ad transactionem inter partes obtinendam, quam, ſi nimis ſero, iuribus aliorum quæſitis intercedere vellet. Exinde commendandum ſextum arbitrii legalis temperamentum: ARBITER PRAETER NECESSITATIS RATIONEM, SIMVL AD ARBITRANDI OPPORTVNITATEM RESPICITO, ATQVE MATVRE OBLATAM INTERCEDENDI OCCASIONEM ACCEPTATO.

§. VII.

§. VII Vlterius accidit aliquando, ut arbitrium, non tantum inter duos belligerantes interponendum ſit, nec in eo ſolum conſiſtat, ut, vel pars una, alteri ditionis partem, aut ius aliquod ſimpliciter cedere, vel utraque viciſſim aliquo dato, vel retento transfigere iubeantur. Sed, ut longe plures bello inter ſe de pluribus iuribus & ditionibus, digladientur, aut inter plures ſua opinione futuros coheredes, de orbi & ad ſenium inclinantis principis patrimonio, mutuæ hereditatis petitiones exſurgant. In qua ſpecie conſervata, vel recuperata pace, omnium deſideriis ſatisfacere, non adeo in proclivi eſt, nec ſimplici ademtione, aut additione regionum, harumque partium, vel quoque ordinario, & ſecundum communes regulas adornato, compoſitoque hereditatis legali arbitrio, diſſidia tollere licet. Variæ tunc excogitandæ rerum litigioſarum permutationes, alteri ſatisdandum per idem, quod petit, alteri per tantundem, quod morali æſtimatione idem eſt. Auget difficultates in tam intricato perplexoque rerum ſtatu, neceſſarium æquilibrii tutamen, cuius pro futuris belli calamitatibus amoliendis, inſimul omnino ratio habenda. Imo res non raro eo redit, ut non ſolum, præcipuis inter diſſidentes, illorumque affectis, qui alterutrius caſtra ſecuti, & in modum acceſſorii bello impliciti ſunt, aliquid demendum addendumque, ſed plane iis, qui pacati nemini adhæſerunt, in complementum difficillimæ, non minus, quam neceſſariæ pacificationis, duro legalis arbitrii telo, ita cogente, non exigua portio auferenda. Quo ſane fatali caſu eveniente, non raro contingere ſolet, ut quibusdam, præſertim invalidioribus ægre fiat, novisque, ut loquimur, prætenſionibus occaſio detur, novaque in futurum litium ſemina ſerantur. Quæ licet, præſenti imbecilliorum re anguſta, ita decernente, aſtuto ſilentio occultentur, & quaſi ſub favilla tegantur, facie tamen deinde rerumpublicarum, ut continua humanorum viciſſitudine fieri ſolet, mutata potentiorique in partes ſpe prædæ allecto, tandemque pertracto, in ardentiſſimas flammas, & apertum valdeque noxium belli incendium prorumpant. Vt ad providi ſagacisque arbitri munus ſpectet, hoc malum non

aliter ac medicorum filii, recidivas febres avertere & præcavere. Quod aliter fieri nequit, niſi in hoc arbitrii genere arbiter eo oculum intendat, ut omnis regionum, ſive commutatio, ſive ademtio, non mulctæ & bonorum publicationis, ſed prudentis contractus innominati, & legitimi commercii inſtar habeat. Qua de re ſeptimum arbitrio temperamentum addendum eſt. VT NON INDISCRIMINATIM AB INFIRMIORI TANTVM RAPIATVR ET CAPIATVR, INQVE MVLCTÆ NON PROMERITÆ SPECIEM, PRO INIVSTA OPERA ALIIS IN INIQVAM MERCEDEM DETVR, SED VT, QVOAD EIVS FIERI POTEST, DAMNVM QVASI FATALE IMBECILLIORI ILLATVM, ALIVNDE ÆQVA RATIONE PENSETVR. *

§. VIII. Octavo licet iam ſupra oſtenſum ſit, legale arbitrium, cum in genere, tum æquilibrii in ſpecie, non ex regulis iuris communibus, ſtatus ordinarii deſcendere, nec proinde ad præcepta iudiciorum forenſium, ſive proceſſus rigoroſe examinandum eſſe, verum magnæ illius gentium reipubl. ſalute & communi humana tranquillitate niti, eiusque unica ratione ſtatus defendi: attamen id operam legalis arbiter dare debet, ne extra favorem neceſſitatis nimium quantum, a regulis tritis de meo & tuo ſecernendo a ſana ratione præſcriptis, ſine ſufficienti cauſa recedat; verum quoad poſſibile eſt, ſalutem ſocietatis gentium cum ſalute ſingularum civitatum combinare ſtudeat, atque caſu non aliter ferente prudenter alteram alteri ſubordinare allaboret. Nec enim magis & vehementius hominum animi laceſſuntur atque vellicantur, quam, ſi ſub ſpecioſorum & grandium vocabulorum ſplendido apparatu *v. c.* A SALVTE COMMVNIS GENTIVM SOCIETATIS, A FAVORE PACIS HVMANI GENERIS; mutuo ſumto, ſibi imponi, ſeque alios reculis ſuis depeculari & ſpoliari animadvertant. Itaque præcedentibus octavum temperamentum accedit: ARBITER LEGA-

* *Imbecilli, cui aliquid potentiorum cupiditati mulcendæ aufertur, per arbitrum nulla iniuria infertur; ſed ipſius per reſtitutionem æquipollentis, tutiori modo, & plurium gentium pacificantium auctoritate deinde poſſidendi, ſecuritati conſulitur. Cum, ſi abſque arbitro res fuiſſet, forte, gratis & ſine ulla remuneratione ſuum perdidiſſet.*

LEGALIS IN QVANTVM FIERI POTEST, PARTIS IVSTÆ PARTES NON TEMERE OFFENDITO, SED DVRVM NECESSITATIS ARBITRIIQVE TELVM, ORDINARIÆ IVSTITIÆ CONDIMENTO TEMPERARE ET EMOLLIRE TENTATO. Quorſum inprimis ſpectat, ut ei inter gentes, cui aliquid communi neceſſitati parendi cauſa, arbitrio ablatum eſt, tantundem; quod morali æſtimatione idem eſt, viciſſim reddatur & ita iactura penſetur.*

§. IX. Tandem nono duratio eſt, quæ præ ceteris bona inſtituta commendat, exigui enim boni rationem habet, quod momentaneum eſt, & brevi tranſit, idcirco prudens rerum publicarum arbiter præcipue, eo annitetur: VT LEGALIS ARBITRII ÆQVILIBRII EFFECTVI, SVA CONSTET DVRATIO ATQVE DIVTVRNITAS. Quæ tanto facilius illi conſtabit, quanto maiori induſtria arbiter probe expendet, quid neceſſario demendum, cui demendum, cuique & quantum addendum. Quinam illi ſint, qui ex nova rerum permutatione offenſam contrahere poſſint. * Vnde deſumendum ſit, quod per ademtionem læſo in redhoſtimentum viciſſim dandum.

CAP. V.

DE ARBITRII FATIS, VBI PRIMO DE FATIS ARBITRII VETVSTIORIBVS.

SVMMARIA.

§. I. *De arbitrii origine primisque monarchiis & illarum numero.*
§. II. *De arbitrio Aſſyriorum Babyloniorum, Ægyptiorum &c. eiusque abuſu.*
§. III. *De neglectu arbitrii primis temporibus & æquilibrii incuria indeque ortis malis.*

* Bella ipſa aliquod actionum forenſium inſtar gerunt GROT. *L. II. c. 1. §. 2.* Licet hæc comparatio non ad omnia actionum forenſium capita extendenda, atque hoc ſimile etiam diſſimile ſit, præcipue in quæſtione de defenſionis Gentium, hominumque ſingulorum licentia. Quæ reſpectu originis & progreſſus arctioribus limitibus, inter ſingulos in republica, quam inter liberas gentes circumſcripta eſt.

* Facile autem contrahetur offenſa in futurum noxia ipſique arbitrio aliquando fatalis & funeſta, ſi evidenter iniquum ſit arbitrii laudum. Nam licet homines ipſi inique agere geſtiant, non tamen æquo animo ferunt aliorum iniquitatem apertam.

§. IV. *De Græcorum oppugnatione & ſuppreſſione, nec non de Carthaginis fatis.*
§. V. *De arbitrio Romanorum illorumque dominandi artibus.*
§. VI. *De ſummo monarchiæ arbitriique Romanorum ſplendore.*
§. VII. *Temperamentum circa Romanorum laudes obſervandum: deque arbitrii Romani vitiis & excidio.*

§. I.

Arbitrii legalis æquilibriique initium in puncto quidem definiri, aut quo præciſe anno æræ mundi conditi cœperit, exacte demonſtrari nequit: interim natura rei ſuadet, quod aucto poſt diluvium *1. humano genere, aucta etiam ſint bella, exortique inter gentes arbitri. Quotnam fuerint in univerſum, vel ſpeciatim ante Romanorum, Macedonumque præpotentia imperia, alia adhuc in oriente plura, quæ minus potentum res, legalis, æquilibriique arbitri vices ſubeundo moderata ſint, diſputent, rixenturque, qui ex incertis gloriam certam ſibi pollicentur. Antiquum commentum *2. duo regna, extra Europam, Romanis & Macedonibus antiquiora ponit, Aſſyriorum & Perſarum, non plura, quo numerus monarchiarum quaternarius conſervetur. Alii quinque *3. com-

*1 Plerorumque magni momenti inſtitutorum origo exacte deſcribi nequit. Neque vero tantum ideo, quod veterum annalibus deſtituamur, ſed quod multa eius naturæ ſint, ut minime inſtar decretorum in indiciorum conſeſſu, poſt vota corrogata, die horaque annotatis, publicatorum, uno & certo temporis puncto; momentoque exorta ſint, ſed ſenſim hinc inde progerminaverint, atque ſuccreverint. Quorſum & arbitrium noſtrum legale referimus, quod ex ſenſim aucto humano genere, auctisque inſimul, præcipue poſt orbis diviſionem, diſſidiis, a validioribus exerceri cœpit. Quid ante diluvium acciderit, iam non diſquirimus, iudicium tamen aliqualiter de illis ferri poteſt e GENES. c. *VI. v. 4.*

*2. De hoc CONRINGIVS *p. 109. de imper. German. Roman. totum illud commentum, de non niſi quatuor magnis futuris Monarchiis, ſeu Imperiis mundi, plus habet famæ, quam veri, quum iam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, non autem duo tantum, quod vulgo creditur.*

*3. AEMILIVS SVRA de annis populi Romani, apud VELLEI: *L. I. poſt pr. Aſſyrii principes omnium gentium rerum potiti ſunt, deinde Medi, poſtea*

compotatis omnibus, imperia maiora conſtituunt, quaſi initio Aſſyrii principes omnium gentium rerum potiti, deinde Medi, poſtea Perſæ, porro Macedones ſecuti eſſent, tandem poſt Chartaginem ſubactam ſumma Imperii ad populum Romanum perveniſſet. Alii tria *4. Perſarum in Aſia, Græcorum & Romanorum in Europa regna recenſent. Quidam duas *5. tantum Aſſyriorum & Romanorum magnas monarchias commemorant, reliquarum gentium regna ad horum appendices unice pertinere rati. Viciſſim alii exiſtimant, nec quatuor, nec quinque, *6. ſed plura v. c. præter adducta Babyloniorum, Lydorumque *7. magna regna extitiſſe, quibus alicubi Sicyoniorum, & Ægyptiorum *8. regna adduntur. Neque vero mi-

ea Perſæ, deinde Macedones exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo poſt Carthaginem ſubactam, devictis, ſumma, imperii ad populum Romanorum pervenit.

*4. Huc refero SALVST. *princ. bell. Catilin. vita hominum* inquit, *ſine cupiditate agitabatur, ſua cuique ſatis placebant, poſtea vero, quam 1) in Aſia* CYRVS, *2) in* GRAECIA *Lacedæmonii & Athenienſes cœpere urbes atque nationes ſubigere, lubidinem dominandi cauſam belli habere: maximam gloriam in maximo imperio putare &c.* de ROMANIS deinde agit.

*5. AVGVSTINVS *Lib. XVIII. c. 2. de Civit. Dei. Inter plurima*, ait, *regna terrarum, in quæ terrenæ utilitatis, vel cupiditatis eſt diviſa ſocietas (quam civitatem mundi huius univerſali vocabulo nuncupamus)* DVO *regna ceteris longe proveniſſe clariora, Aſſyriorum primum, deinde Romanorum, ut temporibus, ita locis inter ſe ordinata. Nam quomodo illud prius hoc poſterius, eo modo illud in Oriente, hoc in occidente ſurrexit Regna cetera ceterosque reges, velut appendices iſtorum dixerim.*

*6. Ipſo Romanorum imperio iam florente noſcitur: regnum Bactrianum, quod mille urbes continuit. Parthorum imperium, quod quaſi diviſione cum Romanis facta, orientis imperium ad ſe traxit IVSTIN. *L XLI. c. 1.*

*7. Sic HVBERVS poſt Aſſyrios, Babylonici, Lydorumque regnorum hiſtoriam recenſet *p. 6. 7. hiſtor. civil.* MASCAMPIVS *in inſtitut. hiſtor. p. 63. & 122.*

*8. AVGVSTIN. *L. XV. c. 17. d. l. per illud tempus eminentia erant regna gentium tria Sicyoniorum, Ægyptiorum & Aſſyriorum.* Laterculum tamen regum Sicyoniorum ſuſpectum habet, quaſi primi nimia vetuſtate peccent, medii auctoritate deſtituantur MARSCHAM *eques aurat. Angl. in canon Chron. p. 15. & p. 353. edit. Lipſ.* in Ægyptiorum autem antiquitate aſſerenda totus occupatus.

minor de numero quam de origine regni præcipui Aſſyriorum *9. quod primo loco nominavimus, contentio eſt. Prout eru-

---

*9. Initia vaſti Aſſyr. imperii ideo in dubium vocantur, quod HERODOTVS *L. 1 c. 106.* Aſſyrios usque ad Medorum defectionem, annis DXX. imperaſſe, CTESIAS autem apud DIODOR. SICVL. *L. 11. c. 1.* ad eandem periodum reſpiciens Aſſyriacum regnum, plusquam per 1360. annos ſtetiſſe dicat, quæ durationis differentia, immane etiam circa originem diſcrimen ponit. Qui inter veteres Herodotum, & quinam Cteſiam ſecuti ſint, vid. apud MARSCHAM *p. 321. ſequ. d. l.* Ipſe reiecto CTESIA Aſſyriis poſt Ægyptios ſuos locum ordinis aſſignat. Inter recentiores Cteſiam defendit HVBER. *d. l.* De Huberi Cteſium defendentis induſtria idem cenſeas, quod olim VELL. PATERCVLVS de computo Catonis antiquitatis Capuæ: *Ego pace diligentiæ* CATONIS *dixerim, vix crediderim tam mature tantam urbem* (vel aſſyriorum imperium) *creviſſe, floruiſſe.* Refutant, autem præter MARSCHAMVM Cteſiam PERIZONIVS *in diſſert de orig. Babyl.* CELLARIVS *de hiſtor. & regn. init.* MASCAMP. *p. 65. d. l aliique.* Ceterum idem MASCAMP. ad ductum ſcripturæ ſacræ diſtinguit inter Aſſyriorum originem, huiusque gentis conditorem nominat Belum ſive Aſſurem, de quo mox poſt diluvium iam mentio fit *Gen. X.* & notabilis potentiæ incrementum, quod potiſſimum ſub Phule, Teglat Philaſſure &c. ſeculo ante Chr. VIII. *vid. 11. Reg. XV. v. 19.* forte contigit, adde MARSHAM *p. 516.* Sane ſi Herodotum addimus & inde hiſtoriam ſacram ſupplemus vaſti imperii fundamenta ad An. 1267. A. C. N. finis autem ſub Sardanapalo ad A. ante C. N. 748 ſecundum calculum VSSERII *Archiepiſc. Armach. p. 24. Edit. Brem. & 49.* referri debet. Longe aliter rationes ſupputat PETAVIVS, qui *L. I. c. 2.* initium ad tempora Abrahami reducit, circa interitum vero *L. II. c. IV.* ad tempora Joaſi iudæ & Jehu Iſraelitarum reges provocat. CELLARIVS *§. 9. d. l.* regis Ahaſi rogatu demum Tiglat Philaſſurem inter Aſſyriæ reges imperium ultra Euphratem protuliſſe contendit. Sane cum coniecturæ, tum ipſa aliorum regnorum hiſtoria, quod paulo poſt diluvium vaſtitas regni huius mox tanta fuiſſet, quanta deinde facta eſt, credere diſſuadent quidem: interim deficiente prolixiori veterum narratione huius argumenti, quomodo ſigillatim accreverit, & quando ſinguli acquæſtus adiecti fuerint, exacte definiri vix poteſt. Pauca enim ſunt, quæ ſacræ pandectæ commemorant, & HERODOTVS quoque non niſi in tranſitu, ubi Medorum res exponit, mentionem facit Aſſyriorum. Circa regnum Babyloniorum res pariter valde controverſa. Primo varii illud cum Aſſyriaco miſcent, quaſi in Babylonia primum exortum, ab ea in Niniven Aſſyriamque

eruditi, vel HERODOTI, vel CTESIÆ tradita, quæ iam olim diverſas, quaſi hiſtoricorum ſectas *10. produxerunt, adoptant. Nobis iam nec huius controverſiæ ſerram trahere, ſed pauca tantum ex tota meſſe in modum ſpicilegii colligere animus eſt, reliqua occupabunt, quos amplior in hoc genere verba faciendi apparatus, circa talia curioſitatem exercendi aptiores reddit. Laudem vero tunc demum haud vulgarem merebuntur, ſi gentilium ſacrariis, hiſtoriaque profana non tam ad Hebræorum calculum evertendum, quam ad illuſtrandam ſcripturam ſacram, utentur. *11.

§. II. Nos pro ſcopi noſtri ratione obſervamus quod ante Macedones arbitri munere defuncti videantur varii populi

R ÆGY-

amque translatum fuiſſet, quos inter & PETAVIVS reperitur *d. p.* 7. Alii viciſſim diſtinguunt ſatis ſolicite utrumque, quaſi eodem quidem tempore cœpiſſent, ſed conditoribus diverſis omnino, altero, quippe a Belo, ſive Aſſure, altero a Belo ſive Nimrodo Babylonio ſundato, ita MASCAMP. *p* 35. non aliter iubente, ut exiſtimat ſacra hiſtoria. Deinde alii Aſſyriaco vetuſtatis honorem relinquunt, ſed Babylonicum tantum non ad tempora ESAIÆ reiiciunt, licet famam ante PHVLEM etiam Aſſyriaco abiudicent, in hunc ſenſum diſſerit MARSHAM, ſi iungis *p 508. verſ. Nimrod fuit & p 509. in fin. d. l.* Alii contra utrique eandem temporum periodum aſſignant, ut iam ex MASCAMPIO vidimus. Nec minor contentio de urbis Babyloniæ primo conditore. Qui ſecundum MARSHAMVM, nec Nimrod, nec Semiramis, nec Nabuchodonoſor fuit *p. 705. 586.* Sed MASCAMPIVS *p. 35.* circa Nimrodum aliter ſentit.

*10. CTESIÆ fidem detrahit Ariſtoteles in *hiſtor. animal.* Herodoto CICERO L. 1. de LL. c. 1. *Hiſtorici* inquit, *ad veritatem poeta ad delectationem pleraque referunt, quanquam & apud* HERODOTVM *hiſtoriæ patrem & apud* THEOPOMPVM *ſunt innumerabiles fabulæ.* Communes utriusque hoſtes LVCIANVM & PLVTARCHVM *vid. apud* HVBER. §. 21. quamvis non negandum, quod Herodotus Cteſiam ſuffragiorum numero longe vincat adde voss. *de hiſtor. Græc. L. II. c. 2. 3.* WHEAR *de method. legend. hiſtor. P. 1. Sect. 7. 8.*

*11. Hæc verba tantum non integra mutuati ſumus ab VLRICO HVBERO vid. eund. *in hiſtor. civil. p 15. column. a med.* hancque viam ſe ſecutos eſſe fatentur CELLARIVS, & MASCAMPIVS &c.

ÆGYPTII *1. ASSYRII, BABYLONII *2. LYDI *3. MEDÆ, * 4. PERSAE, *5. GRÆCI.

*1 Hos ſalva præcedentiæ vanitate, primo loco ſiſtimus, partim, quod horum regum potentiam primum aperte & diſtincte loquatur ſcriptura ſacra, partim quod Aſſyrii horum demum cadente potentia, ad faſtigium adſcenderint. Vnde etiam IVSTINVS *L. I. pr. fuere pridem Aſſyriorum regibus antiquior Vexoris Ægypti rex &c.* quod tamen de fama & celebritate regum Ægypti tantum capimus. Nam omnimoda antiquitas his præ Aſſyriis tribui nequit. vid. MASCAMP. *p. 66. ſect. IV. in fin.* MARSHAM. *p. 509. 510.*

*2. Hos ratione antiquitatis cum Aſſyriis antea iunximus.

*3. Vetuſtiſſimum horum imperium vocat MARSHAM. *p. 330.* & inter res ſeculi XIII. poſt diluvium recenſet. Nomen habuerunt a Lydo Nini filio, quamdiu regnum in familia manſerit, non conſtat, deinde MERMVADÆ, usque ad CROESVM, ſub quo CYRVS regni finem fecit, regnarunt *id p. 625. d. l.* Nec aliter MASCAMP. *p. 122.* De imperii initio non liquet, CROESVS autem anno 548. ſecundum VSSERIVM *p. 79.* vel 544. A. N. C. ſecundum PETAVIVM *p. 107.* debellatus eſt. Hiſtoria gentis debetur potiſſimum HERODOTO, ut tam ex allegatis auctoribus, quam ex HVBERO *p. 7. 9.* conſtat, occaſionem excidii refert IVSTINVS *p. 9. edit. Argentor.*

*4. Horum imperium poſt Sardanapalum Imperii Aſſyriorum regem throno motum per ARBASTVM, ſive Arbacem conditum eſt, IVSTIN. *L. 1. poſt pr.* DIODOR. SICVL. *L 2.* A. ante C. N. 748. VSSER. *p. 49.* vel *876.* ut PETAVIVS *p. 83.* vel *709.* ut MASCAMP. *p. 200.* ſupputant. De incertitudine nondum ſatis in Chronologia hic ſublata queritur MARSHAM. *p. 528.* Nec difficultatem plane tollunt CL. anni usque ad Cyrum, non Perſis, ſed ſecundum quosdam Aſſyriis imputandi *vid.* MASCAMP. *d. l.* Nam ne ſic quidem Medorum initum incideret in An. 876. PETAVII. Propius remedium ex HVBERO peti poteſt, qui aliquos Medorum imperium non mox poſt Sardanapali excidium, ſed demum elapſis CLXII. annis, ſub ſtatu democratico exactis cœpiſſe, velle, commemorat. Sic enim inter MASCAMP, & PETAVII calculum, non niſi quinque annorum differentia intercedit. ARBACES autem non primus Mornarchiæ Medorum fundator habetur. Interim ne ſic quidem VSSERII ſupputatio cum his convenit.

*5. Cyrus auſpicatus eſt regnum Perſarum Aſtyage regia ſede pulſato. An. A. C. N. 559. vid. PETAVIVM *p. 106. c. XI. L. II.* An Cyrus fuerit rex perſarum primus, alia quæſtio eſt vid. MARSHAM *p 604* ubi ex Æſchylo & Xenophonte duos alios Cyrum in regno Perſarum prædeceſſiſſe notat, licet Medorum regno finis a Cyro ſit allatus.

GRÆCI *6. pro cuiuslibet viribus, agendique *7. opportunitate. II) quod tamen hi omnes, ut iubere ſolet notiſſimus ille magnatum affectus ambitio, magis in votis habuerint ſuarum ditionum amplitudinem, quam gentium vicinarum ſalutem *8. communemque tranquillitatem, aut æquum æqui-

*6. Græcorum res geſtæ perantiquæ ſunt, atque ad ætatem Abrahami pertingunt, ut a Seldeno e marmoribus Arundellianis felici ſidere prope Smyrnam inventis & An. 1628 in Angliam illatis demonſtratum eſt, & ex eis repetit MASCAMP *p. 68.* Primus regum Phoroneus nominatur, de quo, ut obiter dicam, an conſtiterit ſatis ISIDORO in *c. 10. de V. S.* in medio relinquendum eſt. Præcipue Sicyones, Athenienſes, Spartani & Thebani caput extulerunt. Verum vaſtam illam imperii molem, quam tanquam tertiam Monarchiam vulgo admirantur, Macedones recentiori ævo demum ſub Alexandri Magni auſpiciis congeſſerunt.

*7. Hoc non eſt, ut e teſtimoniis probetur, ſcriptisque veterum demonſtretur, Minus potentes inſtar clientum ſunt, potentes loco patronorum. Clientes patronos adire iubent indigentia, neceſſitas, timor aliorum, Patronos clientes quærere, vel ſponte venientes recipere ſuadent laudis, honorisque cupiditas, amor inclareſcendi, ſibique clientum comitatu & apparatu, cum apud vicinos, tum apud remotiores populos, auctoritatem, atque reverentiam conciliandi. Vnde iam tempore Abrahami Rex Elamitarum *vid. Geneſ. c. XIV.* plures regulos clientelari vel ſimili nexu, ſibi obſtrinxerat. Neque vero tantum bona utriusque gratia ita practicatur: ſed potentior aliquando partes ſuas interponit, etiam inter eos, qui nullo pacto ipſi obnoxii ſunt, proprio quaſi motu, nec ab aliis rogatus, nec tamen ſine cauſa, ſed rationibus legalis arbitrii ita exigentibus, præcipue æquilibrii æquitas, & illud ſervandi neceſſitas, facile iam ab antiquo cuilibet populo ſe probavit. Quamvis nec minus validi, nec potentiores, ubique vera ad hunc ſcopum facientia media elegerint.

*8. Itaque non negamus, quod veterum potentiorum regum geſta magis ſpectent ad conqueſtores, quam legales arbitros. Potuerunt arbitrio legali æquilibriique defungi, ſed rarius fecerunt, nec ultro aliorum res curarunt, nec periculis obviam iverunt, quam quatenus aliorum bella & molimina, ſuis propriis commodis regnorumque ſuorum dilatationibus, obſtiterint. Interim antequam ad nimiam reliquisque tantum non omnibus formidandam potentiam aſſurrexerunt, veroſimiliter non aperte in alios graſſati ſunt, ſed cum multa cautione arbitriique legalis prætextu res ſuas nutantes adhuc & minus validas ſtabilire, atque fir-

æquilibrium III) quod iidem hi populi partim minus prudenti rerum ſuarum *9. adminiſtratione, partim conciliato per invaſio-

mare aggreſſi ſunt. *Domitis autem* (ut de Aſſyriorum Nino ſcribit IVSTIN. *d. l.) proximis, cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret & proxima quaque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius orientis populos ſubegit.* Vel ut SALLVSTIVS *d. l.* de Cyro & aliis *ait, libidinem dominandi cauſam belli habere: maximam gloriam in maximo imperio putare.*

*9. Aſſyrios duobus mediis 1) hereditaria regum ſucceſſione 2) militis perpetui inſtituto, rebus ſuis conſuluiſſe ex Diodoro affert HVBER. *p. 684.* Addit PVFFENDORF. *p. 6. introd. ad hiſtor.* tertium, quod difficillimus paucisſimorum acceſſus ad reges, maieſtati illorum haud vulgarem conciliaſſet venerationem. Vnde Arbaces *magna ambitione ægre*, referente IVSTIN. *d. l.* obtinuit, *ut Sardanapalum viderit.* Quæ tamen inanis cautio, ſimul regibus otio torpeſcendi, miniſtris & ducibus ſuum commodum quærendi, ſuamque poteſtatem amplificandi occaſionem dedit. Adeo ut deinde regnum mole ſua laborans, facile iterum amitteret acquæſtus, per fas & nefas, quondam partos. Ægyptiorum regnum ab Aſſyriis oppugnatum vid. PETAVIVM *L. II. c. X.* a Nabochodonoſore plane ſubactum eſt, ut ex prophetis conſtat vid. MARSHAM *p. 780.* Deinde illud Cambyſes occupavit. HVBER. *p. 36.* Babylonios, pater Cambyſis, Cyrus debellavit IVSTIN *d. l.* qui & Medorum regnum Aſtyagi abſtulit, Harpagi ope, quem hic filii crudeli occiſione nimium offenderat, hanc in rem uſus, IDEM *d. l.* Apud Perſas teſte IVSTINO pariter, uti penes Aſſyrios moris fuit regis perſonam ſub maieſtatis ſpecie occulere. Prudenter quoque initio regni Cyrus ſecuritati regum proſpexit, quod legatis per provincias conſtitutis, curam militis præſidiarii non relinqueret, ſed præfectis ſibi addictis committeret. Tandem vero minus recte inter Græciæ civitates cuſtoditum æquilibrium, & ſocors negligentia moliminum regum Macedonum, quibus pleraque ſuæ ditionis facientibus non opportune occurrebatur, Perſico regno domeſticis iam quoque diſſidiis fatigato, ſub Alexandro exitio fuerunt. Græci quondam in varias civitates ſciſſi, ante magnum Macedonum imperium, magis literarum ſcientia, legum cultura & fortitudine in ſua regione oſtenſa, quam acquæſtuum apud exteros partorum gloria celebrantur. Neque aliter fieri potuit. quin tam exiguæ ſingularum rerumpublicarum vires, ſi in remotis locis v. c. apud Perſas, in Ægypto &c. vid. VSSER p. 110. dominandi cupido ſubibat, facile reprimerentur. Præcipue cum civitati peregre militem forte mittenti, plerumque hoſtis dome-

vaſiones ſuas, bellaque iniuſta, odio, ſenſim alter per alteram, throno ſuo excuſſi, & eminentia ſua mulctati fuerint. Ita decernente perque cauſas ſecundas agente providentiæ divina, cuius regnum ſolum iuſtum æternumque eſt.

§. III. Illud adhuc animadvertimus, quo magis veterum geſta, hiſtoriæque monumenta meditamur. Quod iſthoc ævo, ubi vaſta iam adducta imperia nondum erant, æquilibrio legalique arbitrio adhuc locus fuerit, quod deinde a magnis principibus plane ſupprimi cœpit. Vt proinde legalis arbitrii decrementa, Monarchiarum incrementis debeantur. *1. Neque vero

domeſticus, vel ſua ſponte incumberet, vel ab aliis excitaretur, ut faſtuoſa res magnas gerendi, magnamque civitatem condendi, conſilia, ut plurimum in fumum abirent. De ſingulis periodis ſummæ rerum *vid.* apud MASCAMP. *p. 66. 123. 203:* De geſtis ab Hercule nominatim in Græcia, Italia, Hiſpania, DIONYS. *Halicarn. L. I. c. 2.* Neque huius exemplum dictis obſtat, nec facta ipſius ad legale arbitrium regum, ſed ad extraordinaria Heroum facinora pertinent. Macedonum quoque breve ſummi, maximique imperii gaudium fuit, ut ſatis notum eſt fierique ſolet, in regnis novis tumultuarie & per impetum auctis, magisque victis novis acceſſionibus, quam rite perdomitis: ſi regem primum, rebus nondum ordinatis, non niſi relictis pupillis decedere contingit. Ceterum utut Philippum ad arbitros, aliquatenus referre licet, in Alexandri rapacitate nihil deprehendimus, quod ex regulis legalis arbitrii laudari & æſtimari queat. Vtrumque inter ſe confert, IVSTIN. *L. IX. c. 8.* ita tamen, ut fere neſcias, quis peior ex iis habendus.

*1. Vt proinde tempora Monarchiarum a temporibus legalis arbitrii, certe in illa orbis parte, ubi dominantur, ſecerni debeant. Imo licet arbitrium æquilibrii, rebus adhuc anguſtis, a conqueſtoribus, aliis in ſpeciem oſtenſum, ipſis oſtentatoribus non tantum inclareſcendi, ſed & res ſuas augendi materiam ſubminiſtraſſe, dixeris: maius tamen incrementum, potentioribus dominatoribus, artes diſcordias inter minus potentes ſeminandi, ambitionem illorum inconſultam, nulliſque fere viribus nixam, laudatione autocratoriæ independentis, excitandi, atque ſub auxilii prætextu, alterum poſt alterum ſubiugandi, attuliſſe videntur. Vnde illud priſtinum: *divide & imperabis.* Sane ſi Monarchæ quondam infirmiores ad concordiam, aut pacem cohortabantur, id in ſpeciem ſæpe tantum fiebat, revera non legalis arbitrii æquum exercitium, ſed proprium lucrum intendebatur, ut mox de Perſis demonſtrabimus.

vero olim gens de alterius gentis machinationibus, ut hodie ubi in cuiuslibet potentioris aula, numeroſa aliorum principum legatorum corona *2. tanquam communis gentium præſidiarius miles excubias agit ſollicita erat. Nec quondam gentes, niſi ea, quæ iam eminere cœperat, bellique uſu, experientiam, experientia, habitum artis imperandi, atque in alios dominandi, ſibi paraverat, ingenium circa prudentiam politicam exercebant, ſed per agros vicosque ſparſim habitantes, quod ante pedes modo erat *3. videbant, quid vero eminus in futurum imminere poſſet, minime, cogitatione, vel ſapienti coniectatione proſpicere annitebantur. Nulla hic inter agreſtes homines, vel quæſtui alii intentos, iuſta & exacta connexionis rerum humanarum meditatio, nulla præſentis ſtatus, cum eius in futurum conſectariis dextre inſtituta collatio. Ingeniorum, fortunarumque principum diſcrimen, apud vicinas civitates fere nullum habebatur. Nemo, vel pauci, ad artes, ad potentiæ augmenta, altiora ſpirantis igneique vigoris principis attendebat, nec vel ipſe inita cum aliis prudenti confœderatione, vel per alium animi æque præcocis & quietis impatientis vicinum principem, opportune & in tempore res novas molienti, negotium faceſſere, ac in via acquæſtuum remoras obiicere, debita ſolertia allaborabat. Hac inertia Aſiatici populi Ægyptiis, Aſſyriis, Babyloniis, aliisque in prædam *4. ceſſerunt. Hæc

---

*2. Quare non ſatis commendari poteſt divinum hoc legatorum inſtitutum, quo modernæ civitates, tot in futurum, alias, ſi citra horum opem & interventum fuiſſet, ex improviſo metuendis, nociturisque periculis, innoxium remedium quæſiverunt.

*3. Neque vero hic obiici poteſt, veterum Ægyptiorum, Babyloniorum &c. ipſo ſacro Codice celebrata ſapientia. Nam hi ipſi fuerunt, qui aliis minus providis frena iniecerunt, atque in incautos dominatum ſibi quæſiverunt.

*4. Dicimus: *ſemper eadem luditur fabula*, *mutatis tantum perſonis*. Ex quo inferendum, quod veteres, non alia ratione ſua imperia auxerint, quam qua hodie fieri ſolet, vicinorum nempe: *negligentia*. Recte enim VELLEIVS: *nemo facilius opprimitur*, *quam qui nihil timet & initium calamitatis plerumque fuit ſecuritas*.

Hæc incuria Perſis *5. exitio fuit. Imo in eundem lapidem ſagacis alias ingenii Græci inpegerunt. Sicuti non tantum famoſa iſta per Antalcidem cum Perſis *6. inita pace, quæ cum inſignem ditionum partem per Aſiam Græcis avulſit, tum ſpecioſo libertatis & autocratoriæ (de la ſouvrainité, ut hodiernus Stylus habet) nomine vim, atque robur unionis nationis diſtraxit, ſed quoque illa notabili inadvertentia, qua Philippi *7. Macedonum regis potentiam nimium augeſcere paſſi ſunt, evi-

---

*5. Egregie animadverſum eſt a PVFFEND. *d. l. introd. ad hiſt.* Quod Perſæ, in eo præcipue rebus ſuis ipſi defuerint, quod Græcarum civitatum ſtudia, non mature contra Alexandrum excitaverint pecunia, copiisque adiuverint. Ita enim illius expeditionem, vel plane initio ſuffocari, vel certe in progreſſu impediri, reprimique potuiſſe. Conſilio autem hoc neglecto, neceſſario non alium, quam Perſarum Imperio triſtem, funeſtumque eventum, ſequi potuiſſe.

*6. Notabiles ſunt huius pacis conditiones, quæ prima fronte non exiguam antiquiſſimam ARBITRII LEGALIS ſpeciem, a Perſarum ARTAXERXE, olim interpoſitam, continere videntur, ſunt autem huius tenoris: *Rex Artaxerxes* ÆQVVM *eſſe cenſet, urbes, quæ in Aſia ſunt, ut & inſulas* CLAZOMENAS *&* CYPRVM, *ſui imperii eſſe: alias vero urbes græcas, tum parvas, tum magnas, liberas, &* SVI IVRIS *relinqui, præter Lemnum & Imbrum & Sygrum, quas ut olim, ita nunc etiam Athenienſes retineant. Hanc vero pacem, qui non recipient, eis* EGO CVM COETERIS, *qui eadem amplectentur terra marique navibus ac pecuniis bellum inferam.* Verum quid monſtri ſub hac pace latuerit, iam in ipſa theſi annotavimus confer. XENOPH. DIODOR. SICVL. &c. unde ſua de hac pace hauſit VSSERIVS *p. 144.* Turpem Græcis, Perſis autem amplam & honorificam pacem hanc vocat *Huber. p. 63. d. l.* Habuit Artaxerxes & deinde aliquoties pacis inter Græcos ſervandæ curam, quoties ſcilicet illorum copiis auxiliatricibus contra alios egeret, ut ex iisdem *Auctor.* conſtat.

*7. Dicit Juſtin. *L. VIII. pr. Græciæ civitates dum imperare ſingulæ cupiunt imperium omnes perdiderunt: in mutuum exitium ſine modo ruentes. Siquidem* PHILIPPVS *rex Macedoniæ, veluti e ſpecula quadam, libertati omnium inſidiatur, dum contentiones civitatum alii, auxilium inferioribus ferendo, victos pariterque victores ſubire regiam ſervitutem coegit*, & deinde *L. IX. c. 8.* de Philippo addit: *quod deceptis hoſtibus gaudere conſueviſſet.* Vbi etiam de reliquis huius regis technis.

evidenter probatur. Vt nihil dicam de domeſtica illorum invidia, mutuoque ſe laceſſentium, & oppugnantium ſtudio, quibus potiſſimis Græcorum Athenienſium, Lacedæmoniorum & Thebarum populis, de rerum ſumma infeliciter inter ſe dimicantibus, totius gentis gloriæ, atque libertati, ſi Macedones excipis, tanquam fatali oratione funebri parentatum eſt. *8. Atque ex his ſimul intelligi coniicique poteſt, quare hodierno tempore per Europam minimum, non niſi improbabiliter, nova Monarchia, ſive tam amplum imperium, quod plures integras nationes comprehendat, a quibusdam regum ſuorum aſſentatoribus præſagiatur. Nam commercia cum literarum, tum alia inter gentes in Europa ſatis ſunt frequentia, nihil fere grati, aut moleſti, læti, aut luctuoſi, uni principi accidit, quod non ſtatim, vel per ipſius principis, vel per exterorum in aula ſua reſidentium legatorum curſores, undiquaque penes reliquos publicetur. Vt taceam, quam multi exploratores clanculum a principe quovis fere, apud quemvis ſine pompoſo illo, in oculos incurrente, nominis, characteris, ſatellitumque apparatu, alantur, qui placatis, vel muneribus, vel aliis artibus, hominibus, deisque, arcana conſilia, tectasque rerum novarum machinationes, mature indagant, venantur, & in apricum producunt. Tela igitur hodie ubique fere prævidentur, ut ab iis non amplius adeo metuenda ſit, priſca nocendi licentia.

§. IV. Metu potentiæ Macedonum morte Alexandri ſublato, Græci quidem criſtas erigebant, & bellum, quod iam vivo Alexandro movebant, ſummis viribus inſtruebant. Principes omnium Ætoli atque Athenienſes erant, frigidam abunde ſuffundente famoſo illo eloquentiæ magiſtro Demoſthene, nuper ab exilio in patriam revocato. Diſceptatur aliquandiu cum Macedonibus, Romani a Græcis contra illos ad belli ſocietatem invitantur, veniunt, Macedones vincunt, Philippum regem intra Macedoniæ fines ſe continere, reliqua reſtituere

*8. Hic dies victoriæ ſcil. Philippi univerſæ Græciæ & gloriam domi nationis & vetuſtiſſimam libertatem finivit IVSTINO *L. IX. c. 3. in fin.* teſte.

tuere jubent, civitates ceteras liberas, tam ſpecioſe, quam callide declarant, alias pro lubitu dividunt, ornant, premunt, donec in provinciam redacta Macedonia, omnem Græciam ſuo imperio adiiciunt. *1. Sed antequam ad Romanos accedamus mentionem quoque curſim facere licebit Carthaginis, quæ pariter circa gentium arbitrium olim vires ſuas periclitata eſt. Potentia eius valide increvit, ut non tantum notabilis Africæ tractus, ſed quoque Sicilia maxima ex parte, cum variis maris mediterranei inſulis imperata facerent, armaque Punica per Sardiniam, Hiſpaniamque ſatis graſſata, in ſinu ipſius Italiæ circumferrentur, & ſub Hannibale Vrbem ipſam territarent. *2. Eadem vota Carthaginenſium, quæ Romanorum, unam gentem ſcilicet poſt aliam in poteſtatem redigendi, orbisque *3. tandem imperium obtinendi. Vnde & Carthago paſſim Romani imperii æmula dicitur, apud bonos auctores. Atque hæc ipſa æmulatio, imperiique communiter affectati invidia, ſollicitante inſimul ſpe prædæ, Romanos ad bella, Carthaginenſibus aliquando initio feliciter ſuccedentia, ſed exitu triſtia atque funeſta *4. incitarunt. Cauſſæ, quæ ſplendidiſſimam civitatem, alteramque in orbe Africano Romam perdiderunt, plures reperiuntur. Initio fatendum eſt, quod Europæ miles teſte hiſtoria fortitudine Africanum regulariter ſuperaverit 2) Quod nominatim Romanorum reſpublica tota militaris eſſet, adeoque inſtitutis militaribus, diſciplina bel-

S lica,

*1. Confer. h. IVSTIN. *L. XIII. XXIV.* LIVIVM *L. XXXIII. XXXIX.*

*2. Iidem & FLORVS, VELLEIVS &c.

*3. FLORVS L. II. c. 2. *Affectabat autem, ut Romanus ita Pœnus Siciliam & eodem tempore paribus uterque votis, ac viribus imperium orbis agitabat.*

*4 Iterum FLORVS *d. l.* & PATERCVLVS *L. 1. Eamque urbem* (Carthaginem) *magis invidia imperii, quam ullius temporis noxiæ, inviſam Romano nomini Sulla funditus ſuſtulit.* Ita ſuadente ſeveri ingenii homine Catone Cenſore *ibid.* Licet Scipio *Naſica* ſervandam ſuaderet Carthaginem, ne metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas Romæ inciperet. FLOR. *II. 15.* AVGVSTIN. *L. 1. c. 31. de C. D.*

lica, ducum virtute atque experientia, ipſiusque numeroſi gregarii militis audacia, Carthaginem anteiret. 3) Quod iſto hoc ævo Romanorum mores adhuc graves, bellicoſique eſſent, cives autem Carthaginenſes, in urbe ſua, tanquam in quadam voluptatum libidinumque *5. *ſentina*, molleſcerent, vel quæſtui commerciorum inhiantes, obſordeſcerent, ut non e civibus exercitus deligi poſſet, ſed mercenarius miles aliunde conducendus eſſet. 4) Nec ad navalia prælia Carthaginenſes naves ſuas apte & concinne adornaſſe, quibusdam obſervatum. *6.

§. V. Omnium gentium imperia & magnitudinem Romam quondam ſuperaſſe, *e finibus*, *copiis*, *opibus*, *vitiis & virtutibus* oſtendere aggreſſi ſunt, viri eruditi. Vaſtitas *1. imperii, non demum a Cæſarum gubernatione, ſed iam a conſularis imperii, ætate, qua Punica & Macedonica bella tam felici ſucceſſu geſta, atque confecta *2. ſunt, repeti debet. Maxima tamen Romæ amplitudo, finiumque propagatio, in ea tempora, quæ ab Auguſto ab Traianum *3. effluxerunt, incidit. Incrementorum variæ erant cauſæ 1) ratio ſtatus ipſius reipublicæ,

---

*5. *Scaturientem vitiis libidinum fornicationumque turpium cœnum, quaſi ex omnium platearum labe collectum, urbem Cartaginem, & cives illius: impuritate certantes, vino languidos, unguentis oblitos, vario luxus genere perditos*, vocat. SALVIAN. L. *VII. de G D.* 242. *ſeq.*

*6. Florus. L. II. in fin. *Romana claſſis prompta, levis, expedita et quodam genere caſtrenſis, remis quaſi habenis agebatur.*

*1. Pertinet huc IVSTI LIPSII *liber*, quem Antwerpiæ Anno MDXCIX. edidit ſub titulo, *Admiranda ſive de magnitudine Romana.*

*2. Rationes patent e præcedentibus. Non tantum æmuli poſt Macedoniam, Carthaginemque debellatam, qui forinſecus Romanorum acquæſtibus obſtabant, *ſublati erant*, ſed inſignis plane plurium regionum acceſſio, e tam opimis devictorum ſpoliis, Romanorum imperio ſuperaddebatur.

*3. Provocamus hic ad teſtimonium LIPSII *c. III. d. l.* ubi Romanorum provincias, quas per Europam, Aſiam & Africam poſſidebant, ſigillatim recenſet, ut uno quaſi obtutu gentis potentiam perſpicere, atque comprehendere liceat.

In Aſia

blicæ, quod tota militaris eſſet, ut proinde bellicoſæ civium mentes, vel ſponte inclareſcendi & opes augendi ſtudio, bella & acquæſtus quærerent, vel e prudenti Senatus conſilio, ne domi & in urbe, ipſi magiſtratui moleſti in factiones coirent, turbas excitarent, atque civilia bella pararent, alibi exterorum oppugnatione & invaſione, diſtinendi eſſent * 4. Vnde Romanorum exercitus perpetuis conflictibus, obſidionibus proeliisque exercitatus, non poterat non priſtinos fines valde pro-

In Aſia

Colchidem,	Armeniam,
Iberiam,	Syriam,
Albaniam,	Arabiam,
Pontum,	Palæſtinam,
Boſphorum,	Ciliciam,
Cappadociam,	Pamphiliam,
Galatiam,	Lydiam, &
Bithyniam,	Aſiam totam minorem.

In Africa

Ægyptum,	propriam
Cyrenaicam,	Numidiam,
Marmaricam,	Mauritaniam,
Gætuliam,	aliasque minores,
Africam,	aut ignotiores.

In Europa

Italiam,	Macedoniam,
Hiſpanias,	Epirum,
Gallias,	Græciam,
Inalpinos,	Thraciam,
Rhætiam,	Mæſiam,
Noricam,	Daciam,
Illyricum,	Pannoniam poſſidebant.

* 4. Sanguine, mœniorum Romæ extructioni litatum eſt, ſanguine in bellis profuſo crevit & decrevit. Et quid fere aliud v. c. apud Livium Florum &c. legitur, quam continua Romanorum bella gerendi ſtudia.

ducere, & civitatem ampliare 2) Studia gentis non erant initio ſubtilia, nec multum curabant philoſophorum ſpeculationes theoreticas, ſed in praxi uſuque rerum adoleſcebant. *5. Eloquentiæ maſculæ, arti imperandi, ſeu politicæ, iurisprudentiæ, & ſcientiæ rei militaris operam dabant. Imo ipſa eloquentia, politica & iurisprudentia, non aliter tanquam inſtrumentis, ad res magnas gerendas, ad imperandum, extraneosque & cives *6. ſubiugandos utebantur. 3) Ipſæ ceremoniæ Deorumque

---

*5. Ruſticationi quoque ſive agriculturæ & rei pecuariæ aliquatenus Romani veteres operam navabant *vid. epiſt.* SCHVRTZFLEISCHII quæ LEISSERI *iuri Georg.* præmiſſa eſt. Repetendi hic ſunt verſiculi ex VIRGILIO ſupr. c. I. §. VI. not. *7. in fin. adducti, quod populus Romanus alios imperio regere fere unice curæ cordique habuerit. Spectat huc etiam meditatio Abbatis FLEVRII *du chois des etudes p. 11.* ubi ita: *car pluſieurs* (e Græcis ſcilicet) *faiſoient ſervir la profeſſion de philoſophie a des petits interets, comme de faire leur cour aux princes curieux, ou de gagner de l' argent; & ceux, qui cherchoient la ſageſſe plus ſerieuſement, ſe decrioient fort par la multitude de leur ſectes, car ils ſe traittoient tous d' inſenſés les uns les autres. Les Romains voyants les Grecs dans cet etat mepriſerent longteins les etudes, comme de ieux d' enfans, & des amuſements de gens oiſifs, car pour eux ils ſ' appliquoient uniquement aux affaires de la* GVERRE *& a la* POLITIQVE. Et paulo poſt: *il ſe forma chés eux une etude, qui leurs fut particuliere, & qui dura autant, que leurs Empire: c' eſt la* IVRISPRVDENCE. Et deinde: *Le vieux Caton, Scipion & Lelius, n' etoient pas des gens a ſe charger de bagatelles. Ils etudioient les hiſtoriens & les* ORATEVRS *pour profiter des beaux exemples & des bonnes maximes des anciens Grecs & pour apprendre a* PARLER *auſſi fortement ſur les* AFFAIRES *de Rome, que Pericle, & Demoſthene avoient parlé ſur celles d' Athenes, ſe gardants bien d' imiter le Grecs de leurs tems, ny de ſ' arreter aus vitilles des grammairiens & des retheurs.*

*6. Hoc ſatis probavit Dn. THOMAS. per inductionem originum legum, plebiſcitorum, Senatus conſultorum &c.. Jam olim CONRING noſter *p. 48. apud* RITHMEYER. *in Jure Juſtinianeo magis magiſque videor mihi obſervare arcanam calliditatem, religione populum ſub iugum mittendi. Itaque pene auſim dicere legibus iſtis ad berile imperium ſtabiliendum nihil aptius excogitari poſſe &c.*

que cultus *7. ex eodem fine æſtimabantur. Auguria, ſacrificia, Deorum *8. numerus, huiusque augmentum *9. nec non religionum ſectarumque diverſarum tolerantia, *10. eadem ratione ordinabantur, ut imperii amplificationi inſervirent. 4) Accedebant, ex quo res ſuas ſemel ſuper vicinorum ſortem evexerant, aliarum gentium ad Romanos confluxus & veneratio. Quotiescunque enim 5) aliqua civitas ab alia ſibi ægre fieri putabat, ad Romanos non ſolum ad conſultandum, tanquam ad oraculum quoddam, ſed ad ſententiam, huiusque

 latæ

---

*7. Confer. PVFEND. *in introd. ad hiſtor. d. l.* ubi totum ſchema ſacrificiorum auſpiciorum, auguriorum, potiſſimum ad res magnas gerendas, vel a plebe exigendas, item ad bella plebi perſuadenda, a callidis ſacerdotibus patriciorum, qui ſenatus collegium occupaverant, agnatis, uſurpata fuiſſe notat.

*8. Poſt deos Iliacos ab initio conſtitutos, ordinataque a Numa ſacra, plures deinde alii coli cœperunt AVGVSTIN. *L. III. c. XII de civitat. Dei ita: ſub hoc tot Deorum præſidio, quos numerare, quis poteſt? indigenas, alienigenas, cœlites, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluviales & ut Varro dicit, certos atque incertos.*

*9. Deorum numerus & publica auctoritas a Senatus decreto dependebant vid: *comment.* Dni Kreſſii ad PVFEND. *de habitu religionis p. 253. Legibus XII. tabularum cautum erat, ſeparatim, nemo habeſſit Deos, neque novos ſive advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto. Conſtructa a patribus delubra habento Cic. VI. de legib. Vnde Romani ædilibus bello Veiero id negotii dederunt, ut animadverterent, ne qui niſi Romani Dii, ne quo niſi patrio more colerentur Liv. L. IV. Sic & Mæcenas conſuluit apud Dion. L. XXV. ut numen more maiorum colerent. Quam impie vero ſæpius ſenatus ex ſceleratiſſimis hominibus ſibi & populo Deos elegerit, ſatis demonſtrat hiſtoria. Druſillæ quæ infami inceſtu cum fratre Caligula ſe polluerat, diis nihilominus aſſociabatur. Antinous notiſſimus Hadriani cinædus & vivente iſthoc imperatore & per duo ſecula poſt eius fata divino cultu cumulabatur. Vt taceam inſignem illam ſororum bigam Fauſtinam matrem & filiam, quarum turpiſſima & ſalaciſſima vita, nihilominus apud populum Roman. Religioſam adorationem meruit. Adde* AVGVST. *L. III. c. 12. de C. D.*

*10. Inter augmenta populi Romani LIPS. p. 177. conſcientiæ atque religionum libertatem refert, additque ex Dionyſio: *quod ſexcentæ pene nationes in urbem confluxiſſent, quibus ſingulis ſacra, ritusque patrii eſſent.*

latæ executionem impetrandam, tanquam ad communæ populorum tribunal ibatur. Neque 6) gratis ſe coli, aut fruſtra auxilium ſuum implorari, Romani patiebantur, ſed clientelam profeſſos, prompta atque læte accipiebant, tam egregia ſcilicet, communem gentium libertatem, per communia earundem arma, vel valde minuendi, vel plane ſupprimendi, occaſione impetrata. Vt proinde non inficetum ſit illorum iudicium, qui Romanos aliquatenus quidem callida ſua induſtria creviſſe, inſigniora tamen augmenta, aliarum gentium ſtoliditate, rebus illorum acceſſiſſe, exiſtimant.

§: VI. Plane ipſi reges, Senatus Romani demiſſe ſalutandi cauſa, Romam *1. pergebant, ſe & ſuos, Senatui commendabant, illique ſuas de aliorum iniuriis querelas exponebant, eiusque reſponſa reverenter accipiebant. Si ipſi reges Romam non accedebant, legati illorum, ibi confluebant, gentiumque cau-

*1. Huius loci eſt Athaubelis regni Numidiæ heredis Romam ſuſceptum iter, commiſſaque Senatus arbitrio cum Jugurtha de regno contentio: *Micipſa* inquit, *pater meus, uti regni Numidiæ tantummodo* PROCVRATIONEM *exiſtimaret meam*, IMPERIVM PENES VOS *eſſe &c.* item: *per maieſtatem populi Romani ſubvenite mihi miſero: ite obviam* INIVRIÆ: *nolite pati regnum Numidiæ, quod veſtrum eſt, per ſcelus & ſanguinem familiæ noſtræ tabeſcere vid.* SALLVST. *p. 221. de bell. Jugurthin.* Adde orationem regis Eumenis contra Antiochum habitam *Lib. XXXVI. c. 53.* *apud* LIVIVM *Ego* inquit *patres conſcripti, quoniam dicere utique volentibus vobis* PARENDVM EST &c. item cum altera vice Romæ eſſet: *cauſam veniendi ſibi fuiſſe* dicit, *præter cupiditatem viſendi deos hominesque, quorum beneficio in ea fortuna eſſet, ſupra quam ne optare quidem auderet, c. XI. L. XLII. ibid.* Sed ſuperat longe regum in Romanos reverentiam, ſequens exemplum. Pruſias Bithyniæ rex Romam ſe profectum fatetur in Senatu: *Deos, qui Romam incolerent, ſenatumque & populum Romanum ſalutatum: et gratulatum, quod Perſea gentiumque reges viciſſent. Votum ſibi ſolvere Romæ in Capitolio decem maiores hoſtias & Præneſte unam fortunæ, pro victoria populi Romani. Deinde reſtitutionem agri ſibi ab Antiocho capti, poſtremum ſilium ſenatui commendat LIV. L. XLIII. ubi ex* POLYBIO *refert: Pruſiam Romam cum veniſſet, in curiam, ſe ſubmiſiſſe et* OSCVLO LIMEN CVRIÆ *contigiſſe et* SENATVM DEOS SERVATORES *ſuos appellaſſe.*

cauſarum cognitionem *2. a Senatu expectabant. Senatus regnorum ſucceſſiones ordinabat *3. pupillorum regiorum tutelas ſuſcipiebat. *4. Cauſas regum ad ſe pertinere exiſtimabat, ius, regium nomen, bene de ſe meritis *5. conferendi, ſibi quaſi ſoli reſervabat. Licet Senatores ipſi non adeo in pretio haberent honores regios, regisque appellationem *6. Imo paucos reges in cultioribus orbis partibus, ſui iuris relinquerent, pleroſque decretoria auctoritate imperata facere iuberent. Vnde ob tantum ſplendorem, tot Romæ elogia ena-

*2. Hoc probare, eſſet operam inaniter perdere. Vna vice LIVIVS *L. XL. c. XX.* introductas in ſenatum legationes commemorat Eumenis, Ariarathis Cappadocis & Pharnacis Pontici, deinde Lacedæmoniorum, Achæorum &c.

*3. Populus Romanus regum hereditates ipſe aliquando adiit v. c. Bithyniæ regnum e Nicomedis, Lybiæ partem ex Appionis, Ægyptum ex Alexandrini regis teſtamento, crevit *vid.* GROT. *L. I. c. 3. §. 12. n. 5. 6.* Succeſſionis ab inteſtato ordinatæ ſpecies occurrit apud SALLVST. *p. 212. c. 15. de bell. Jugurt. vicit tamen* inquit, *in Senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Miſcipſa obtinuerat, inter Jugurtham et Atherbalem dividerent.*

*4. Ptolemæi regis filii Epiphanis tutelam Romani ſuſceperunt, legatioque in hanc rem ipſis miſſa grata erat, quia belli cauſam adverſus Philippum quærebant IVSTIN. *L. XXX. c. 3.* Vlterius res illuſtrari poteſt, e reſponſo Bithyniæ regi Pruſiæ filium commendanti a Senatu dato: *Senatum Romanum facile Nicomedis* (filii Pruſiæ) *commendationem accipere quanta cura regum amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento Ptolemæum Ægypti regem eſſe LIV. Lib. XLIV.*

*5. Verminæ Syphacis regis Numidarum legati a Senatu petebant, ut: *Vermina* REX *amicus et ſocius appellaretur.* Reſponſum tulerunt: REGII *nominis honorem pro magnis erga ſe regum meritis dare populum Romanum conſueviſſe, pacem prius Vermina petendam a Romanis, quam ut* REX *appelletur.*

*6. *Reges barbaris dandos eſſe credebatur, quibus dominia et regum imperia pro legibus eſſent* vid. LIV. Vnde SVLLA cum circumfuſa multitudo, regem ingenti conſenſu appellarent, ſilentio per præconem facto dicebat: *ſibi maximum nomen imperatoris eſſe, quo ſe milites ſui appellaſſent:* REGIVM *alibi magnum Romæ intolerandum eſſe* L. XXVII. c. 21. *apud eundem.*

enata. Dicebatur enim: VRBS REGVM *7. REGINA ET DOMINA ORBIS, *8. QVÆ TERRARVM DEA GENTIVMQVE CONSISTIT, CVI PAR NIHIL ET NIHIL SECVNDVM, POPVLVS ROMANVS INVICTVS AB HOSTIBVS. ROMANI OMNIVM GENTIVM IMPERATORES. ROMA DEORVM ET FORTVNÆ SEDES. LVX ORBIS TERRARVM ATQVE ARX OMNIVM GENTIVM. DOMICILIVM IMPERII ORBIS TERRARVM. ROMANVM IMPERIVM, VERIVS ORBIS TERRÆ PATROCINIVM. Magis ad ſcopum noſtrum pertinent, quod P. R. appelletur: GENTIVM ARBITER, *9. QVOD POPVLI ROMANI SIT PROHIBERE INIVRIAM, NEQVE PATI CVIVSQVAM REGNVM PER SCELVS *10. CRESCERE. QVOD ROMANI SINT ILLA GENS, QVÆ SVA IMPENSA, SVO LABORE AC PERICVLO BELLA GERAT PRO LIBERTATE ALIORVM. *11. Vt pro-

---

*7. *Legatus Pyrhi poſt reditum, a rege ſuo interrogatus, quid Romæ vidiſſet, Vrbem regum* reſpondebat.

*8. Reliqua elogia fere apud CICERONEM habentur, adde MERVLAE *Coſmograph. P. II. L. 2.* & LIPS. *c. 1. d. tr.* Laudavit Romanos ipſe Alexander magnus *L. VII. de expedit. Alexandr. p. 476.* apud ARRIAM.

*9. FLORVS *L. III. c. XVIII. quid hac clade triſtius: quum* REGVM ET GENTIVM ARBITER *populus Romanus ipſum ſe regere non poſſet.*

*10. Excerpta hæc laus eſt ex oratione Micipſæ *p. 14.* apud SALLVST. *bell. Catilin.*

*11 Inſignis hic locus eſt, ex LIV. *L. XXXII. c. 19.* Scilicet Romani diſſipata, qualicunque Philippi Macedonis nova Monarchia, Græcisque libertati priſtinae reſtitutis, non tantum praeſenti laetitia, ſed per multos dies inter Græcos cogitationibus & ſermonibus hoc encomio celebrantur. *Eſſe aliquam in terris gentem, quæ ſua impenſa, ſuo labore et periculo bella gerat, pro libertate aliorum, nec hoc finitimis aut propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti iunctis præſtet: maria traiiciat: ne quod toto orbe terrarum iniuſtum imperium ſit, et ubique* IVS, FAS, LEX *potentiſſima ſit. Vna voce præconis liberatas omnes Græciæ, atque Aſiæ urbes, hoc ſpe concipere audacis animi fuiſſe: ad effectum adducere, virtutis & fortunæ ingentis.* Hæc ſane particula antiquitatis, mihi ſemper tanto ſanctior, atque religioſior habebitur, quo magis concinnum & perſpicuum MAGNI REGIS NOSTRI GEORGII, populique inclyti BRITTONVM, rerum geſtarum, compendium, (ſi callidum & malevolum Romanorum animum, quo Græcis hanc, de qua LIVIVS loquitur libertatem dedit, excipio) pia devotaque animi reverentia, in illa mihi deprehendere viſus ſum.

proinde de legali æquilibriique arbitrio, a Romanis quondam uſurpato plane dubitandum non ſit: Imo plura exercuerunt, quam merum arbitrium. Nec quæcunque etiam ipſis tribuantur laudes, circa ſolam æquitatem, ſolumque æquilibrium ſubſtiterunt, ſed circa univerſale imperium atque dominationem univerſalem fere occupati fuerunt, ut mox videbimus.

§. VII. Scilicet uti imperii vaſtitatem, rerum geſtarum amplitudinem, bellorum victorias, arduarumque expeditionum feliciſſimos eventus, populo Romano facile concedimus: ita viciſſim plura quoque ſunt, quæ multum de gloria, bonaque gentis huius celebratiſſimæ, fama detrahunt, vitiaque & in hac urbe donec homines ibi fuerunt, fuiſſe abunde perſuadent. De vanitate Romanorum circa religionem, abuſuque divini cultus iam dictum. De vitiis voluptatis quidpe, quæ non adeo apertam atque evidentem vicinis cauſam querendi dederunt, agere ſuperſedemus. Tantum quædam de illis affectibus & facinoribus, quibus manifeſta cum iuſtitia *1. legalique & æquilibrii arbitrii pugna intercedit, commemorabimus. Initio Romani iuſtas belli cauſas, non exſpectabant, ſed

 unde

*1. Poſſunt omnia huius § iisdem fere teſtibus probari, quos antea pro Romanorum laude offerenda, produximus. Antiquitus populum fuiſſe pulchrum, pium ſanctum, ſed omnia poſt bellum Numantinum mutata dicit FLORVS *L. 1. c. XXX. de C. D. Romani deleta* inquit *Carthagine, depulſo terrore, tantis malis corrupti ſunt, perdita vitæ integritate, libido dominandi meracior facta*, Nec aliter VELLEI *L. II. pr. Remoto Carthaginis metu ſublataque imperii æmula, non gradu, ſed præcipiti curſu a virtute deſcitum, & ad vitia tranſcurſum.* Idem tenet SALLVSTIVS *p. 40. ſequ. de bell. Catil.* Vbi ait, *labore, atque iuſtitia respublica crevit, regesque magni bello domiti, nationes fere ſubactæ, Carthago ab ſtirpe æmula interiit; cuncta maria, terræque patebant, fortuna ſævire ac miſcere omnia cœpit, igitur primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit, ea quaſi materies omnium malorum fuerunt. Avaritia fidem, probitatem, ceteraſque bonas artes ſubvertit, pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit: ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit.*

unde quaque quærebant *2. & quaſi captabant 2) Sub ſpecie libertatis, vel conſilii, quaſi hoc, vel illud, cuidam genti expediret, aliis *3. imponebant, ſibique ſubiicere eosdem tentabant. 3) Societates, ut ſocium, vel per ſocium, vel certe alios ſocietatum ſuarum prætextu perderent, inire ſolebant *4. 4) Non iniurias a regibus aliis illatas, ſed vires ac maieſtatem regum perſequebantur. *5. Aliis bella inferre, non quia neceſſarium ſed quia ipſorum *6. intererat conſueverant. 6) Libertatem aliorum ferre non poterant *7. in omnes dominari geſtientes. Paucis 7) pacis bellique vocabulis, ut nummis utebantur, non ad id, quod iuſtum, *8. ſed quod expediebat, unde

---

*2. E pluribus in teſtimonium prodeat IVSTIN. *L. XXXIV. c. 1. quærentibus*, dicit, *igitur Romanis cauſas belli* (contra Achæos, qui ipſos minime offenderant) *tempeſtive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur.* Spartanis reſponſum datur: *legatos ſe ad inſpiciendas* (ſi diis placet) *res ſociorum & ad iniuriam demendam in Græciam miſſuros, ſed legatis arcana mandata callide dabantur vid. ibid. ſequ.*

*3. Sic ibid. apud IVSTIN. refertur, quod ſingulis rebuspublicis Achæorum ſuas leges & ſuam libertatem reſtituere voluerint. Aſt quare? EXPEDIRE omnibus dicunt Romani. Quid ad hæc Juſtinus? ideo factum potius contendit, *quo facilius deinde ſinguli ad obſequia cogerentur.*

*4. De his vid. ſupr. c. 1. §. 6.

*5. Eſt hæc non iniuſta Mithridatis de Romanis cantilena, quam experientia magiſtra didicit, cecinitque, confer. GROT. *L. II. c. XX. §. 43. de I. B. & P.*

*6. Ciceronis ad ſui ſeculi mores reſpicientis effatum eſt: *quod per magni intereſt, neceſſarium putatur.*

*7. Vivide hoc depinxit Pontius Teleſinus Samnitium Dux apud VELLEI. *p. 35 eruendam delendamque eſſe* ROMAM, dicit, *alias numquam defuturos raptores libertatis, lupos, niſi Sylva in quam refugere ſolent exciſa.* Ceterum hoc teſtimonium, dubia aliquatenus reddit virtutum Romanorum tempora, quaſi ad Carthaginem usque exterminatam integræ perſtitiſſent. Et ita eſt, plerumque laudamus veteres & noſtris utimur annis. Interim vitia auctis Romanorum rebus, aucta pluraque enata eſſe, non negandum, & ad oculum oſtendit FLORVS *L. III. c. XII.*

*8. Eſt hæc PLVTARCHI de principibus vetus querela, quæ optime ad Romanos, quadrat. Meretur cetera conferri oratio Mithridatis apud IVSTIN.

unde fere nemo erat vicinorum regum, quem revera ſui iuris eſſe patiebantur.

§. VIII. Sed ſucceſſu temporis Romani & imperii maieſtatem & arbitrium gentium variis ex cauſis iterum amiſerunt. Tyrannide, ipſa ſui ſtatus ratione, quod Roma tota militaris eſſet militesque teſte TACITO intelligerent, non ſolum Romæ fieri poſſe imperatorem, ſedis imperatoriæ translatione, copiarum ex occidente abductu plus vice ſimplici periculi expoſiti, concuſſi, quaſſatique ſunt. Acceſſerunt tot gentium bellicoſarum, Gothorum, Vandalorum, Herulorum, Burgundionum, Francorum, Saxonum Hunnorumque motus & migrationes, quæ omnes prædæ aſſuetæ ſpoliorum ſpe excitatæ, aut etiam ipſa amplitudine famæ VRBIS, iniuriisque a Romanis tot Gentibus illatis evocatæ, & laceſſitæ, provincias Romanas diripuerunt, vaſtarunt atque depeculati ſunt. Exitium acceleravit Theodoſii M. fatalis diviſio. Sic Franci enim paulo poſt ſub Honorio iterata vice in Galliam irruerunt, ibique A. 412. ſibi ſedes poſtularunt, & ab invitis extorſerunt. Sub Aetio quidem, anno 445. victi, ſed non debellati, campo ceſſerunt, non autem provinciis. Deinde propter auxilia contra Attilam præſtita, plane ab ipſis Romanis impetrarunt, ut illorum conſenſu, novo regno condito, res ſuas in Galliis Anno 452. firmarent. Pugnatum exinde cum Avito, ſed ultimo Romanorum duce Sigonio Ægidio mortuo, Gallia plane antiquum imperium Anno 482. excuſſit. Hiſpaniam aggreſſi ſunt Suevi, Alani, ceſſit ultimo Anno 408. Vandalorum armis. Anglia a Pictis, ſive Scotis exercita, auxilia Romanorum ſollicitat, ſed Romani illa præſtare non valentes, Anno 447. iuri ſuo in Inſulam ſponte renunciant, Brittonesque ſui iuris fieri patiuntur. Italia a variis invaſoribus premitur, tentatur, urbem expugnat Alaricus Gothorum rex Anno 410. Deinde eandem Vandali inundant, ſequitur ſecunda Romæ invaſio & occupatio,

 eam

STIN. *L. XXXVIII. c. 4. ſequ. Conditores ſuos* inquit, *Romani ipſi ferunt lupæ uberibus altos: ſic omnem illum populum luporum animos inexplebiles ſanguinis, atque imperii divitiarumque avidos ieiunos habere.*

eam obſidente Genſerico Anno 457. Tandem denuo devicta gente, urbeque capta ab Odoacro Herulorum rege, Auguſtulus throno movetur, imperioque toti ultima fata accerſuntur. Anno 476.*

CAP. VI.

DE FATIS ARBITRII POST ROMANOS.

SUMMARIA.

§. I. *De fatis arbitrii ſub Gothis, Vandalis Herulis.*
§. II. *De iis, quæ ſub Hunnis & Slavis huc ſpectant.*
§. III. *De arbitrio Francorum.*
§. IV. *De Saxonum vetere arbitrio.*
§. V. *De Hiſpanorum Monarchia tentatoque arbitrio.*

§. I.

Poſt inſpectum Romani imperii exitum intra Germaniam, vicinaque regna nos continebimus, circa ſpeculationem reliquorum arbitrii noſtri fatorum. Variæ gentes, deinde caput extulerunt GOTHI, VANDALI, HERULI, SAXONES. Gothorum utrumque tam Italicùm, quam Hiſpanicum imperium latiſſime patuit *1. Theuderichi præcipue Oſtrogothorum regis tempore, qui Italiæ regnum ſuo, Hiſpanicum Amalarichi nepotis tutorio nomine moderabatur. Verum utriusque gentis brevis honos, *2. vel potius oſtentatio fuit, atque eadem facilitate, qua regna ad ſe non pertinentia, occuparunt, iisdem

* Confer de his SCATEN. *H. IV. p. 279. 288. 290. 293.* HUBER. *p. 18.* SIGON. *de occid. imper. p. 256. 261. 328.* Et de cauſis interitus politicis PUFFEND. *in introduct. d. l.* illud notabile, quod primum excidium ſub Alarico, AUGUSTINO occaſionem dedit præclarum *de Civit. Dei* opus ſcribendi SIGON. *p. 265. d. l.*

*1. Gothorum elogia conduxit GROT. *in fin prolegom. ad ſcript. Vandal. Longob.* illud eximium eſt, quod IORNANDES de Theoderico refert: *non fuit*, inquit, *in parte occidua gens, quæ Theodorico, dum viveret, aut amicitia, aut ſubiectione non deſerviret.* adde HERT. *in opuſcul. Vol. 2. t. 1. p. 161. ſequ.*

*2. Ita diſertes CATEN. *p. 296. Hiſtor. Weſtphal. Gothorum, Herulorum &c. brevis imperiorum periodus fuit.*

dem viciſſim excuſſi ſunt, ut proinde gentium arbitrium viderint quidem, tentaverintque *3. mox tamen iterum amiſerint. Theudericus enim ſive Theodericus, Odoacro in Italia, ad quem debellandum a Zenone Græcorum Imperatore advocatus erat devicto, Anno CCCCXCIII. novum regnum condidit, quod ſapientiſſime deinde ordinavit, atque rexit, ſed Anno DLI. Narſes notiſſimus Iuſtiniani belli dux, Totilam & paulo poſt Teiam ultimum Gothorum regem inſigni prælio proſtratum, occidit, regnoque Oſtrogothorum exitium attulit. Nec melius fatum Veſogothi in Gallia experti, rege enim eorum Alarico Anno CCCCXCVI. in acie cum Clodoveo commiſſa occumbente ſedes regni Tholoſa Francis ceſſit. Diutius res Veſogothorum in Hiſpania perſtiterunt, ubi demum Anno DCCXX. Rodericus, a Mauris profligatus regnoque exutus eſt. Crudelius cum Herulis *4. actum, qui rege ſuo Sindvaldo iuſſu Narſetis e trabe ſuſpenſo Anno DXXXIV. Italia exulare iuſſi ſunt. Longobardicum regni excidium notius eſt, quam ut exponatur. *5.

*3. De arbitrio a Theodorico non tantum teſtatur, locus e IORNANDE adductus, ſed quoque epiſtola Theodorici, qua Clodovæo victoriam ab Alemannis reportatam gratulatur, utque *bellum moderate peragat* hortatur *p. 82. apud* CASSIODOR. Idem evincitur ex literis ad Alaricum Viſigothum *p. 84. d. l.* nec non ex epiſtolæ ad Gundibaldum, Burgundiæ regem data. Nam exigit in utriusque, laudatus Oſtrogothorum rex Theodoricus, ut cum Francorum Rege res amice componantur, *alias ſe cum coniuratis detrectanti, eximias gentes obiecturum eſſe.* Omnium tamen diſertiſſime *p. 85. 86. d. l.* in epiſtola ad Herulorum, Guarnorum, & Thoringorum reges, cum eodem Clodovæo conciliandos, perſcripta, de arbitrio legali agitur, ubi conceptis verbis Francorum regi, Gothicus noſter minatur: *quod omnium ſociorum incurſum paſſurus ſit, ſi* ARBITRIVM *pacis* ſpernere pergat. Neque vero minis vires decrant, indice hiſtoria.

*4. Herulorum regem in arbitrii ſocietatem contra Francum efficaciter exercendi, aſſumſit Theodoricus in *epiſt. praeced. not.* indicata.

*5. In compendium hæc redegimus ex SCHATENIO, HERTIO, GROTIO, CLVVERO, SIGONIO.

§. II. Hunnorum quoque magnam potentiam, gentisque excurſiónes Attila dirigente, ſatis annales loquuntur. Sed hic non arbiter legalis, ſed gentium vaſtator erat, ut ſatis teſtantur regna crudelitatem Tyranni, qui flagelli Dei nomine ſibi placebat, quondam experta. Noſcuntur quidem ante eum Balamir, Mundineus, Huldes, Roes, ſed hi Romanorum, Græcorumque imperatorum res tantum in Oriente attriverunt: Attila autem eorundem provincias Europæas diripuit, Italiam, Galliam, Germaniamque depeculatus, nec in terribili illo cum Ætio proelio, quo tot hominum centum millia concertaſſe dicuntur, ut numerus fere, fidem hiſtoricam excedat, ſatis ſuperatus eſt. Tandem, circa aliorum ſanguinem effundendum, prodigaliſſimus mortalium, per ſomnum cruore e naribus in fauces ſtillante, proprio ſanguine ſuffocatus periit. *1. Magnus dein fuit in Germania etiam noſtra Hungarorum terror, ſed horum audaciam imperatores Saxonici repreſſerunt. Per Slavos quoque, in ſedis a Gothis, Vandalis, Herulis, aliisque gentibus e patria ſua migrantibus, vacuas relictas, ſe ingerentes, multa glorioſe *2. geſta magis tamen bellis, & excurſionibus, quam pacificis conſiliis. Nec unum imperium olim conſtituerunt. Nec continua libertate uſi, ſed in Germania a Carolo Magno, Henrico Aucupe, Ottone Magno, Cunrado II., Lothario, Henrico Leone, hinc inde ſubacti. Nec proinde ad arbitros noſtros referendi ſunt. *4

§. III.

---

*1. De his agunt ſcriptores Græci SOZOMENVS, ZOSIMVS, NICEPHORVS, e Gallis PROSPER, AIMOINVS, item ſcriptores, quos edidit GROT., IORNANDES, PROCOPIVS, PAVLVS WARNEFRID, item PAVLVS ÆMILIVS VERONENSIS, SIDONIVS APOLLINARIS. Inter recentiores LEHMANN, SCHATEN &c.

*2. Per extructiones tot urbium, quas inter etiam Lipſia, ut nominis ratio indicat, quo tilium Slavorum lingua notat.

*3 Vt ex MELA, PROCOPIO, aliisque, quos citat GOLDAST. *L. VI. c. 3. De Regn. Bohem.* conſtat. Et BALBIN. *L. III. c. 22. Miſcell.* docet. Quomodo Salvi a Francis victi & imperio Germanico, terræ illorum, aliquatenus reſtitutæ *vid.* GOLDAST. *L. II. d. l.*

*4. De orientalibus Slavis, Ruſſis, Polonis &c. iam non ago *vid.* HELMOLD. *L. I. c. 1.* ſed reliquos tantum, qui in Germania quondam conſederunt.

§. III. Francorum natio inter gentes magnum quondam nomen conſecuta, latiſſimeque dominata eſt. Præcipue ſub Clodovæo terminos ſuos inſigniter produxit, ſub Carolo Magno autem ad faſtigium potentiæ ſuæ evecta eſt. Verum æquilibrii, iuſtique arbitrii curam poſt principia Franci ſtare iuſſerunt, regibus magis augendis acquæſtibus, *1. quam vicinorum libertati, ſalutique intentis. De Clo-

derunt indigito. Laudantur quidem ab hoſpitalitate, ſimul tamen incuſantur: *quod fuerint genus hominum mobile, vagum, prædas exercens, vicinis infeſtum, gens crudelis, ſaturari neſcia* & alia quæ parum arbitro conveniunt *vid.* HELMOLD. *c. 11. d. l. in fin. Slavi propter aviditatem, amiciſſimis ſæpe abutuntur, ut hoſtibus* IDEM *c. 1.* FRENCEL *De Diis Sorab. & Slav. t. 11. Script. Luſat. &* MANLIVS *tom. I. p. 183. ibid.* Mire in libertatem Slavorum invehitur GOLDAST. cauſam in contrariam pro eis agentibus, STRANZKYO & præcipue, BALBINO. Apud quos & illa diſputatio extat, an ſemper ſervierint Germanis, GOLDAST. id affirmante, BALBINO negante.

*1. SALVIANVS *L. IV. p. 75.* ita: *Gens Saxonum fera eſt,* FRANCORVM *infidelis, Gepidarum inhumana, Chunorum impudica; omnium denique barbarorum vitæ vitioſitas.* Et dein: *Si peieret* FRANCVS, *quid novi faceret, qui periurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non criminis vid.* BALVZ. *p. 341.* RITTERSHVS *p. 43. in not. ad Salvian.* Propius huc ſpectat, quod idem SALVIANVS: *perfidam gentem* FRANCOS *dicat, quæ nequidem ad momentum quieſceret,* item, quod veteres: *Francum amicum, non vicinum* deſideraverint. Manifeſto indicio, quod gens, aliorum rebus inhiaverit, rapax fuerit, & ſi quæ alia æquo arbitrio obſtant, exercuerit. Sunt, qui veterum Francorum miniſteria in imperatorum aulis extollunt, quaſi in illis intemeratam fidem cuſtodiiſſent. Verum nec hoc encomium raro fefellit, ſic promiſſis, muneribusque perſuaſi, cum Sylvano populari ſuo, Conſtantiique Cæſaris miniſtro, contra ipſum Cæſarem fecerunt. Imo SCHATENII *p. 265. Hiſtor. Weſtphal.* obſervatio eſt, *quod Franci ſummis honoribus Domi militiæque provecti ſint, magno imperii Græci malo ut eventu cognitum. Nam pro inſito Francorum ingenio fallaces, populares ſuos in opem prædæ per Rhenum traxere, exploratiſque omnibus viam ſibi ad rapiendum imperium ſtraverunt, ut pro inde Conſtantino Magno vitio datum ſit, exercitus ſuos tot barbaris legionibus impleviſſe, qui poſtea in datis omnibus ſe imperii dominos tulerunt.* Interim inficias eundum non eſt, quod

Clodovæo iam querentem audivimus Theodoricum, quod non leges gentium, non iuſtitiam reſpexerit, ſed res aliorum quaſſaverit. Vtrum magis arbitrii legalis nomine laudandus ſit Carolus Magnus, dubium eſt, ſi utraque famoſa cum Saxonibus *2. & Longobardis exercita bella, illorumque cauſas ſpectes. Si vota Caroli valuiſſent, utrumque imperium Romanum & Græcum, ducta in matrimonium Irene iunxiſſet. *3. Interim ampliſſima fuit Caroli apud alias gentes auctoritas, ut facile probari poteſt. *4. Laudem quoque meretur Francica natio, quod mitius habuerit debellatos, quam ante eam Romani. *5. Qua cautione mire variarum gentium exiſtimationem, atque amorem ſibi conciliavit.

§. IV.

quod multi etiam rem pro Cæſaribus ſtrenue geſſerint ut MALLOBAVDES, CHARIETTO &c. Accedit, quod ipſi Cæſares, dum durius miniſtros ſuos gente Francos tractarent, in cauſa eſſent, quare deſperata conſilia arriperent. Vt vel Sylvani exemplum demonſtrat. *vid.* MARCELLIN *L. XV. c. 5.*

*2. In bello Saxonico, lites definibus, denegatum a Saxonibus tributum & idololatria gentis, in cauſas belli a Carolo trahebantur. Feliciori ſane eventu, quam prætextuum quæſitorum gravitate, aut veritate vid. *Celeberrim Dn.* HAHN. *c. 1. §. 10. Hiſtor. Imper.* Ad Longobardos ſede ſua excutiendos papa Carolum invitavit, cuius auctoritatem, omni affinitatis cum Deſiderio Longobardorum rege contractæ, ſanctitate antiquiorem, ſibique utiliorem habuit. Ad fines regni ſcilicet ampliandos. Secus ac Pompeio Magno apud Plutarchum viſum: *Romanos a propagando imperio, non flumina non montes arcere debere, ſed ibi ditionum finem fore, ubi* IVS *non eſſet ulterius procedere.*

*3. Hoc conſilium proceres Græcorum, qui ſuum imperium aliunde pendere nolebant, Irene throno mota, turbarunt.

*4. Certatim confluebant Perſarum, Saracænorum &c. ad Carolum muneribus ſuis legati. Titulo βασιλεως, cum ceterarum gentium rectores ῥῆγας tantum dicerent, Carolum Græcos honoraſſe ſatis conſtat. Licet deinde in concilio Conſtantino politano Ao. 870. permittere nollent, ut ſucceſſor Lotharii Ludovicus hoc elogio macteretur. Rationes Ludovici epiſtolamque recitat BARONIVS ad Annum DCCCLXXI.

*5. Sic Saxones, Longobardos, &c. ſuis legibus vivere permittebat CAROLVS. Vnde Gallos, *Romanos* amplius eſſe noluiſſe, ſed imperium *Francorum* lege ſalica temperatum aſpiraſſe, refert SCHATEN *p. 274. d. l.*

SAL-

§. IV. Tertio quartoque ſæculo nomen Saxonum celebrari cœpit. Referuntur non unæ gentis excurſiones, ſic enim iterata vice, initio cum Herulis, deinde cum Longobardorum rege Alboino, Italiam invaſerunt. In reditu & poſtea, repetitis vicibus in Galliam irruerunt. Maritima ſituatio, navigandi artem addiſcendi, aliorum litora infeſtandi, hominibus per ſe inquietis, facile anſam ſuppeditavit. Vnde aliquando omne litus a Ligeri ad Albim, ob piraticam Saxonum, litus Saxonicum dici cœpit. Brittones, contra Pictos, cum patriæ iuventutis robur per Romanorum conſcriptiones militum, ut Pictis reſiſti non poſſet, exhauſtum eſſet, Saxones in auxilium, atque patrocinium evocarunt. Vt proinde Italicis, Gallicis, Britannicisque expeditionibus claros Saxones dixeris. Enimvero nec hos, priſtino ævo, arbitris pacis LEGALIBVS accenſerem. Nam 1) non erant ſub uno, atque conſtanti imperio, ut arbitrum gentium decet, & ad auctoritatem conciliandam opus eſt, 2) Latrocinia & piraticam, ſtudia, quæ minime gentium, cum æquo arbitrio conveniunt, exercebant. 3) Sociis, & qui auxilia eorum poſtulaverant, oppido duros, iniquos & *1. ingratos, ſe exhibebant, ut vel de illorum geſtis apud Brittones notum. Quamvis deinde, ex quo imperium ad illos, ad fidem Chriſtianam converſos, ſtirpeque Carolina extincta, ſub Ottonibus delatum eſt, cum fama gentis iniquior, tum alia omnia in melius mutata ſint, ARBITRIIQVE iuſti & æqui honos genti demi nequeat. *2.

§. V. Patrum memoria in immenſum quoque crevit Hiſpanorum potentia, ut provinciarum amplitudine veteres

V Roma-

SALVIANVS ita: *malunt gentes* (Francos ſcilicet, Gothosque ſequentes) *ſub ſpecie captivitatis vivere liberi, quam ſub ſpecie libertatis captivi: malunt inter* BARBAROS *cultum diſſimilem, quam in Romanis iuſtitiam ſævientem.* Nec enim pecuniam adeo, aut quæſtum curabant FRANCI, ut Romani, ſed victoriarum gloria atque honore fere delectabantur.

*1. Scilicet regno Angliæ occupato contra iuſtitiam in inhabitantes ſævierunt.

*2. Confer. REINER. REINECC. *orig. Sax.* MEIBOM. *Introduct. ad hiſt. inter. Saxon*, SCHATEN, HERT. SIGONIVM, DV CHESNE &c.

Romanos, Portamque Ottomannicam ſuperare crederentur.*1. Sed cum durius aliquando cum in ſacris, tum in profanis, partim miniſtrorum avaritia, partim Clericorum nimio religionis fervore, conſilia aulæ dirigente, civitates acquiſitas haberent, imo Monarchiam univerſalem interdum meditarentur; vicinorum populorum interceſſione, oppido attenuatæ ſunt faſtuoſæ gentis vires. Nec facile ſuſpicandum, quod aliæ nationes conceſſuræ ſint, ut, ſi præſumtuoſe quid audeat Hiſpania, illud ad effectum perducat, aut executioni mandet. Nobis interea ſufficit, quod genius Hiſpanicus vix talia conſilia ſuggerat, quæ gentem inter æquos rerum arbitros magnopere commendent. Dicendum iam videtur de inclyto BRITTONVM populo, verum huius circa arbitrium æquilibrii, aliasque aliarum neceſſitatibus interceſſiones, geſta deſcribere, non meum, verum Europæ, imo & gentium extra hanc ſitarum opus eſto. *2. Adeo Glorioſiſſimi REGIS NOSTRI expeditiones adhuc in omnium recenti memoria hærent, laudanturque.

CAP. VII.

DE ARBITRII LEGALIS SVB IMPERATORIBVS GERMANICIS VSV.

SVMMARIA.

§. I. *De vetuſta quæſtione, utrum imperator ſit dominus mundi.*
§. II. *De fundamentis aliis huius arbitrii & de elogii imperatoris præſtantia, præcipue ſub Carolingis.*
§. III. *De titulo ſupremi advocati eccleſiæ imperatorum & ſtatuum imperii e legibus publicis.*
§. IV. *De exemplis arbitrii legalis ab imperatoribus exerciti.*

§. I.

Obſoleta quæſtio eſt, an imperator ſit DOMINVS MVNDI. Sane ſi hæc affirmari poſſet, ſuperſedere liceret tota tractatione, de imperatorum arbitrio legali in controverſiis gentium

*1. Ita SVLLY, LIPSIVS de *Magnit. Roman.* aliique.
*2. Confer. PVFEND. de *reb. geſt. Frid. Wilhelm. in indic. verbo* ARBITRIVM DV CHESNE *Hiſtor. Angl. L. XIX. 3. 10. & IX. 522. p. 13.*

tium exercito. Si enim hoc in univerſum imperiale dominium, in tuto locatum eſſet, quis de arbitrio quæſo, quod dominio longe inferius eſt, diſputationem amplius inſtituere poſſet? Olim, cum gloſſatores imperatoria iura e iure civili *1. tuerentur, incidebant quoque in Antonini & Iuſtiniani dicta, *quaſi imperator dominus mundi*, *aut omnia Cæſaris eſſent*, nec non in alios ſimiles textus, ex quibus confici poterat imperatori in univerſum ius competere. Mirabilibus rationibus inter utramque partem, tam pro huiusmodi in omnia iure ſive dominio, quam contra, illud diſceptatum eſt. Prout facile conſtabit, DANTEM, ALIGHERIVM, * 2. GVILIELMVM OCKAM,

*1. Friderici Barbaroſſæ tempore, quo MARTINVS, BVLGARVS, IACOBVS, HVGOLINVS &c. florebant, quorum primus Cæſarem ambitioſe colebat, quærentique, *an omnium rerum* DOMINIVM *haberet*, *homineſque eas tantum precario poſſiderent*, affirmative reſpondebat. *vid.* PANCIROL. *de Clar. LL. interpret. L. II. c. 14.* Quamvis non negandum, quod Fridericus magis de dominio imperatoris fiſcali, in res ſubditorum, præcipue Italorum, ſi locum GVNTHER LIGVRIN. *L. III. verſ. 480. ſequ. Quidquid habet locuples*, *quidquid cuſtodit avarus*, *iure quidem* NOSTRVM *populo concedimus* VSVM, conſideres, ſenſiſſe videatur. Interim MVRENA *in rebus Landenſ. p. 881. t. 1. Rer. Brunſvic.* diſerte refert: *Fridericum*, *cum ſemel equitaret ſuper quodam ſuo palafreno*, *in medio quatuor principales legis doctores* BVLGARVM, MARTINVM, IACOBVM, *atque* VGONEM, *quæſiviſſe*, *utrum de iure eſſet*, DOMINVS MVNDI, BVLGARVM *reſpondiſſe*, *quod non erat quantum ad proprietatem dominus*, MARTINVM *autem reſpondiſſe*, *quod erat & Imperatorem huic præſentaſſe ſuum palafrenum ſuper quo ſedebat*, BVLGARVM *autem dixiſſe: amiſi equum*, *qui dixi æquum*, *quod non fuit æquum.*

*2. Hic rem deducit a Romanis, quaſi his competiiſſet imperium mundi, unde deinde devolutum fuiſſet, ad Imperatores ſequentes. Argumentatur autem DANTES in forma. 1) *Nobiliſſimo populo convenit*, *omnibus præferri*, *atqui populus Romanus fuit nobiliſſimus. Ergo convenit ipſum omnibus præferri.* 2) *Quicunque bonum reipublicæ intendit*, *finem iuris intendit. Atqui Romani bonum reipublicæ intenderunt. Ergo finem iuris intenderunt.* 3) *Quicunque populus cunctis athleantibus pro imperio mundi prævaluit*, *de divino iudicio prævaluit. Atqui Romanus populus cunctis athleantibus pro imperio mundi prævaluit E.* Reliqua lubens tranſeo, tam bene quadrant, cum hactenus adductis.

KAM, *3. IACOBVM, *4. ALMAINVM, ANTONIVM, *5. de ROSELLIS, BARTOLVM, BALDVM, IASONEM, *6. alioſque legenti. Interim ſeculo adhuc XIV. Imperatores Germanos ad oſtendendam imperii dignitatem *7. atque amplitudinem, aliquando: *totius mundi*, *omnium provinciarum*, ſua poteſtatis deſcriptioni addidiſſe, demonſtrat LIMNÆVS. Licet nec olim Romani integro orbi imperarint, nec imperatoribus Germanicis amplius ius ſit, in ea omnia, quæ populi Romani fuerunt, deinde autem bellis, dere-

---

*3. Hic prolixum dialogum conſcripſit *de poteſtate papæ & imperatoris*. Pro probando univerſali in mundum dominio allegat *Gloſſ. iur. can. ad Cap. Hadrianus diſtinct. 63.* ubi papa imperatori concedit ius præſules inveſtiendi: *per ſingulas provincias. Ergo* inquit, Gloſſat. *in Francia & Hiſpania unus eſt imperator, quod concedo* addit, *eadem, niſi probent ſe exemptos eſſe ab imperatore.* Reſpondet dein OCKAM ſibi ipſi & dominium mundi imperatoris ita refutat: *quicquid papa approbat diſtinct. XIX. c. ſi Romana, illud & nos approbare debemus. Atqui papa in dict. diſtinct. aſſertionem Francorum, & aliorum regumque aſſerunt, ſe non eſſe imperio ſubiectos approbat Ergo & nos idem approbare debemus.*

*4. Hic initio ſupponit, quod imperator *non ſine cauſa portet gladium.* Deinde vero contra dominium mundi imperatoris diſputat. 1) Ex eo, *quod imperator non poſſit omnia vendere.* 2) Exinde, *quod alias optimi viri v. c. Gallorum rex Ludovicus ſanctus non potuiſſet Canonizari, ſi imperator haberet dominium mundi. Nam hic Ludovicus dixit, ſe in temporalibus non habere ſuperiorem.*

*5. Hic imperatori dominium aſſerit: *omnium terrenorum corruptibilium.* Ratio Viri eſt, *quod dentur duo intellectus theoreticus, ſeu ſpeculativus,* qui ordinatur ad æternam ſalutem *a papa* & practicus *in adminiſtratione temporalium,* qui *imperatori* ſubeſt, itaque hos duos ſe invicem non debere impedire, uti quondam figuratum in hiſtoria: de Martha & Maria. Belliſſime profecto.

*6. Hos citat. LIMNÆVS *L. II. iur. publ. c. 8.* IASON opinionem de dominio mundi imperatoris *communem eſſe vult*, BARTOLVS plane *hæreticum* dicit, qui negat.

*7. Adducit LIMNÆVS: ex GOLDASTI Reichs-Satzung *p. 548.* ſequentia Ludovici IV. & Friderici pulchri: wir Ludewig und Friederich bekennen, daß wir uns mit einander verbunden haben ewiglich, daß wir das Römiſche Reich über alle Welt beſitzen ſollen und wollen, & dein: und ſoll jedermann fürbaß von einander Rath nehmen, an allen Sachen, in allen Landen, über alle Welt.

derelictione, aut pactionibus, in ius atque poteſtatem aliarum gentium conceſſerunt. Quod iamdudum oſtenſum alibi eſt ab eruditis *8.

§. II. Verum non neceſſum eſt, ex huius farinæ diſceptationibus ſcholaſticis arbitrii legalis exercitium imperatoribus aſſerere. Superſunt magis illuſtria rerum momenta, quæ firmius præſidium imperatorum cauſæ circumponunt, illorumque arbitrii uſum luculentius demonſtrant. Initio ipſi IMPERII, IMPERATORISQVE elogio, aliquid eximii ineſt, quod cum priſcorum Romanorum publica inſtituta, tum aliarum celebriorum gentium praxis iamdium comprobavit. Sane, quod Romani quondam ſibi ſolis tantum imperii, imperatorisque nomina reſervarint opus non eſt, ut prolixius doceatur, cum hic, vel ea tantum, quæ BOECLERVS, BLONDELLO latius imperatoris titulum extendere geſtienti, regeſſerit, inſpexiſſe ſufficiat. Non hic definitionibus, ſcholæque argutiis, ſed hiſtoriæ rationibus, rerum documentis, & curiæ quaſi gentium ſtylo publico concertandum eſt. Vnde quoque in contrarium non movent, quorundam *1. ut Bulgariæ, Hiſpanicæ, Franciæ primæ ſtirpis regum exempla, qui ſibi imperatorum titulos adſcripſerunt: cum non videndum, quibus elogiis illi ſe extulerint, verum quæ gentium uſus ipſis conceſſerit, approbaveritque. Deinde quod celebriorum gentium uſum attinet, ipſi Franci ex quo ſub Carolo Magno pontificis, imperatorumque Græcorum aſſenſu, imperatorium axioma nationi ſuæ intulerant, imperii & imperatoris appellationem fere ſemper honoratam habuerunt: ita ſane didici a viro quondam hiſtoriæ peritiſſimo: *imperium*, dicit, *quondam notabat* REGIMEN SVBLIMIVS *in omnia Franciæ, Germaniæ & Italiæ regna. Vnde Lotharius, qui in conſortium imperii, a Ludovico pio aſſumtus erat, proprio regno non gaudebat. Quamvis mortuo Bernhardo a patre Ludovico dein Italia ipſi permitteretur.* Item alibi ab eodem re-

*8. Agit hac de controverſia GROT. *de I. B. & P. L. II. c. XXII. §. 13.* CONRING. *de German. Imper. Rom. c. IV. & V.*

*1. confer. du FRESNE verbo *imperator.*

refertur: *Ludovicum pium Anno DCCC. XVII. conſtituiſſe, ut Lotharius ſucceſſor in* IMPERIO *eſſet, ceteri autem fratres, ſub maiori fratre regali poteſtate potirentur. Vnde* COINTIVM *fruſtra contendere, quaſi meram honoris ſpeciem* IMPERII *vocabulum, non regnum* EMINENTIVS *contineret.* Imo & poſt diviſionem monarchiæ Carolingicæ, iamque Arnulpho imperante, Franci occidentales, ſive Galli, excellentiam nominis IMPERII adhuc agnoverunt, atque venerati ſunt. Vt de ODONE tertiæ ſtirpis primo rege e veteribus ſatis probat. Dn. HAHN. *d. l. p. 289.* Enimvero & pontificem audiamus, quid ille quondam de imperio ſenſerit. Sane IOANNES VIII. *epiſt. 197.* ad Ludovicum Saxonum regem ſcribit: *neque eſt quod te cognati regnum moveat, cui ſumto Romano* IMPERIO *cetera regna ſubiecta erant.* Nec ſcriptorum ſuffragia hic deſiderantur, ita imperator dicitur: *vicarius Chriſti v. c. Conradus II. apud* WIPPONEM *p. 427. ſanctiſſimus*, *2. *Chriſtianiſſimus p. 806. 811. apud* MORENAM. Item cum aliquando ſub PHILIPPO SVEVO, phœnomenon in ſole conſpiceretur, homines iſtius ævi putabant, imperium ſole deſignari, *quaſi ut ſol ſtellas ſic imperium ſplendore ſuo cetera regna mundi antecellat* CÆSARIVS HEISTERBAC. *L. X. c. 23.* GVNTHER. LIGVR. *pr. L. 1.* ita ad FRIDERICVM I.

Suſcipe cunctorum regnator maxime regum,
Suſcipe lux mundi, cui nullum PARVE PRIVSVE
Te populi, te regna timent, te ſolis ab ortu
Solis ad occaſum, ſubmiſſo vertice cuncti
Suſcipiunt.

Græcorum legati honoris cauſa plane VRBIS ET ORBIS dominatorem, imperatorem noſtrum aliquando vocarunt vid. RADEVIC. *in vit. Frider. I.*

§. III. Quadrant huc etiam tot loca receſſuum imperii noſtri. In *Rec. de A. M. D. XII.* §. 4. und nach dem in der heiligen Kirche auch ein ſchisma entſtehen mögte. So achten wir als rechter **Vogt und Schirm-Herr** der chriſtlichen Kirche / auch Churfürſten / Fürſten / und Stände des Reichs ſich in die Sache ſchlagen. De-

*2. conſer. GOLDAST. *p. 298. replic. pro imper.*

Deinde in REC. *de A. M. D. XXX.* §. *10.* Nach dem aber uns als Römiſcher Kayſer und obriſten Voigt der Chriſtenheit / aus aufgelegtem Kayſerl. Amt gebühret. Item in REC. *de Anno M D. XLI.* §. *19.* Haben Churfürſten / Fürſten / und gemeine Stände uns als Advocaten und Beſchirmern der Chriſtlichen Kirche gebethen und erſuchet. Nec non in RECESS *de Anno M. D. XLVIII.* §. *6.* So wollen wir / als Advocat der heiligen Kirchen und Beſchirmer der concilien unſern Kayſerl. Ambt nach &c. Quæ omnia de imperatoriæ dignitatis eminentia, magnaque inter gentes chriſtianas exiſtimatione ſatis evidenter teſtantur. Acceſſerunt, ipſius nationis germanicæ, quam imperator, tanto, tamque ſplendido regum, electorum, principumque cooperante *1. conſenſu, moderatur, decus gloriaque. Nec enim in Europa fere gens eſt, cuius princeps non e Germania, tanquam communi regum ſeminario, natales trahat, *2. vel olim affinitatis honore, ſanguini germanico non innexus fuiſſet. Vt nihil dicamus de militiæ, fortitudinisque gentis noſtræ fama, quæ omni ævo illi apud alios populos egregiam conciliavit auctoritatem.

§. IV. Neque vero exempla imperatorum noſtrorum, pro communi pacis bono cum efficacia intercedentium deerunt, hiſtoriæ germanicæ ſcrutatori. Cunrado quidem I., inter bella civilia ætas transacta eſt, Henrico aucupi, quoque ſatis fuiſſe diceres, Germaniam contra Slavorum vexationes, Nordmannorum iniurias, Hunnorumque exactiones priſtinæ immunitati reſtitutam, in tuto locare. Interim Henricus tandem egregie circa finem arbitri munere defunctus eſt. Huc refero locum

WITE-

*1. COOPERATORES Cæſaris ordines imperii noſtri iam ab antiquo dicuntur, ut ex vetuſto diplomate Cæſareo apud SCHILTER. *in iur. publ.* conſtat. Ipſe ſane imperator Carolus V. in R. I. *de A. MDXXIV.* §. *28.* circa ſummum Advocatiæ chriſtianæ honorem iſtos reſpicit, ut ſupremi muneris huius conſortes verbis: Als wir uns verſehen, daß die Stände des Heil. Reichs, als SCHIRMER und SCHUTZER des GLAUBENS ꝛc.

*2. Notabilia magis ſunt verba Franciſci I. ad fœderis Schmalcaldiani ſocios; *Scire vos opinor*, inquit; *Viri Ampliſſimi gentem quidem* GERMANICAM, *ex qua velut ſtirpe* GENUS MEUM *duci, non ſolum libenter profiteor, ſed* MAGNO *etiam in* HONORE *pono vid.* GOLDAST. *p. 91. Replic. pro imper. adverſ.* GRETSER.

WITEKIND *p. 641. apud* MEIBOM. *deinde pater patriæ, rerum dominus, imperatorque ab exercitu appellatus, famam* POTENTIÆ VIRTVTISQVE *cunctis* GENTIBVS *& regibus longe lateque diffudit. Vnde & aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamque in conſpectu eius invenire querentes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt. Inter quos Hiribertus gener Hugonis cum ei adverſaretur Rudolfus contra ius faſque omne rex conſtitutus, ut ei apud dominum ſuum præſidio eſſet oravit. Ipſe rex enim talis erat, qui nihil negaret amicis. Perrexit igitur in Galliam rex regem alloquitur & perfecto negotio reverſus eſt in Saxoniam.* Eadem gloria debetur filio Ottoni I. qui narrante eodem WITEKINDO, *coacto apud Cameracum exercitu in Galliam profectus eſt, intravitque regnum vindicandi cauſa iniuriæ generi ſui Lothovvici, eoque Hugonem pariſienſem comitem, initio contumelioſe eum excipientem, redegit, ut plura loca Lothovvico reſtituere cogeretur.* OTTO III. Polonorum res ex æquo arbitrio compoſuit, CHRONOGRAPHO, SAXONE aliisque teſtibus. Lothario Saxoni non inferior laus debetur, qui arbitrio ſuo Innocentii II. & Anacleti II. ſchisma decidit. Ni hoc egregium facinus ad ius advocatiæ imperialis referre malis. Magis laudaremus FRIDERICVM ÆNOBARDVM ad quem tot gentes confluxerunt, RADEVICO teſte, ut Poloni, Vngari, Græci, & ſi quæ aliæ, arbitrium expectaturæ, niſi magnus hic cetera imperator, rerum a ſe geſtarum ſplendori, iniquo in inclytam ſibique cognatam Guelphicam gentem, auſu, illatisque iniuriis, notabilem maculam affricuiſſet. Inſignis pacis publicæ inter imperii proceres a longo ævo conturbatæ, curam quoque Rudolphus I. geſſit, eandem gloriam, in patria, civilibus ſuis inſtitutis, quam alii bellis inter gentes, bonam cauſam per vim defendentes, arbitri. Verum omnia ſucceſſorum e gente Auſtriaca præclara arbitrii facinora ſatis perſequi, volumen maius non diſſertationis aliquot pagellas expoſceret. Felix hodienum patria deprædicanda, quæ ſub imperio prudentiſſimoque, invictiſſimi Caroli VI. arbitrio, cum in ſacris, tum in profanis tam intra ſe, quam exterorum reſpectu, ſuaviſſime & tutiſſime conquieſcit. Nihil magis ſerio & cordicitus

ex-

exoptans, quam ut MAXIMI OPTIMIQVE Cæſarum glorioſiſſima familia, maſcula prole firmetur & augeatur. Ne aliquando gratiſſima halcyonia, funeſtis atque diuturnis cruentæ Bellonæ turbinibus, horrendarumque tempeſtatum procellis in nobiliſſima Europæ parte, intercipiantur, atque turbentur.*

CAP. VIII.

DE MOLIMINIBVS PONTIFICVM CIRCA ARBITRIVM IVRIS GENTIVM.

SVMMARIA.

§. I. *De invidendis paparum elogiis v. c. quod papa ſit Deus, Chriſtus, rex regum.*

§. II. *De variis canoniſtarum circa poteſtatem papæ temporalem opinionibus v. c., 1) quod per indirectum tantum habeat, 2) omnimode habeat &c. hanc poteſtatem.*

§. III. *De ſententia ipſius iuris canonici in hac quæſtione, quod papa gaudeat utroque gladio. &c.*

§. IV. *De praxi pontificum, qui hanc doctrinam ſtrenue executi ſunt v. c. Gregorio M. Nicolao I. Gregorio VII. &c.*

§. V. *De vera doctrina, quod papa qua talis plane non habeat poteſtatem temporalem, niſi quatenus probet. Nam pro magiſtratu politico eſt præſumptio.*

§. VI. *Quod inde ſequatur, papæ qua tali quoque non competere arbitrium gentium. Reſpondetur ſimul Raynaudo, Petro Bleſenſi, Pallavicino, qui papam: omnium* ARBITRVM, *omnium* SEQVESTRVM *dicunt.*

§. VII. *De exceptionibus a regula & quidem de falſis, quas format* LVDOVICVS THOMASSINVS *v. c. quod papa habeat arbitrium contra gentes hæreticas, item contra reges, qui ſua regna negligunt, ut ſuppleat illorum negligentiam.*

* *Imperatoribus, legale arbitrium, nemo in controverſiam vocabit. 1) Quia hoc arbitrium cuilibet potenti, æquo & ſapienti principi competit. 2) Quia reſpectu imperatorum adſunt cauſæ ſuaſoriæ peculiares. Habetur enim. 3) Cæſar pro capite Chriſtianorum 4) Pro Advocato eccleſiæ, 5) Ipſi imperatores hoc munus, ut chriſtianorum pax conſervetur, in ſe olim ſuſceperunt vid.* GOLDAST. *Polit. imper. tom. III. p. 323. 357. 358. Imo 6) præter imperii curam, amplitudo provinciarum* MODERNVM *Auguſtiſſimum,* IMPERATOREM NOSTRVM, *quidpe, quæ ad Turcæ, Poloni, Papæ, Galli, Belgarum, Helvetorumque fines pertingunt: ad æquilibrii arbitrium ſua ſponte invitat.*

§. VIII. De veris exceptionibus v. c. quod papa habeat arbitrium pacis per modum conſilii, moniti, non autem per modum belli. item, quod papa, ut princeps politicus in ſtatu ſuo videatur habere aliquam arbitrii ſpeciem, quæ tamen notabiliter temperanda. Certius arbitrium habet, ſi partes in ipſum compromittunt, ut in cauſa Aurelianenſi. Tandem additur concluſio totius diſſertationis cum voto pro REGE.

§. I.

Maximis honorum titulis Pontifex a clericis ſuæ religionis coli extollique ſolet. Vocatur enim Aaron dignitate, Abel primatu, Abraham Patriarchatu, Apex ſublimiſſimus apoſtolatus, Apoſtolorum decimus tertius, Cacumen mundi, Caput diviniſſimum omnium capitum, Caput orbis, Chriſtus, Chriſti domini curator, Vicarius ovium Chriſti, Currus & auriga Iſraelis, Depoſitor Hæreſium, Deus in terris; Dominus domus Dei & Princeps omnis poſſeſſionis eius, Dominus ſanctus, beatus, prædicabilis & adorandus, Dominus omnium gentium, Dux exercitus circumiens acies, quærens quæ pars bene apparata, Epiſcopus orbis, Fundamentum eccleſiæ, Fundamentum fidei, Hæres cui hæreditas orbis, Locum tenens Petri, Luſcinia aſſidue canens orbi terrarum, Magiſter orbis terrarum, Maieſtas Apoſtolica, Materia omnium ſpiritualium perſonarum, Moderator cœleſtis imperii apicem regens, Origo Chriſtianæ Religionis, Os apoſtolorum & Princeps cœtus, Paſtor Paſtorum, Pater mundi, Pater orbis, Petra fidei & eccleſiarum, Præfectus orbis, Primus per omnia, Princeps regni cœlorum, Rex regum & Princeps Imperatorum, Rex plusquam reges omnes, Servator aureæ fidei catenæ, Sol æterni luminis, Sponſus eccleſiæ, Thronus ſupremus & verticalis, Tuba Evangelii, Turris fortitudinis, Vicarius generalis & ſolus Chriſti in mundo, & ſi quæ alia ſunt elogia, quæ magna induſtria congeſſit THEOPHILVS RAYNAVDVS *in Onomaſtico*, quod *coronæ aureæ ſuæ ſupra mitram Pontificis* inſervit.

§. II. His tamen omnibus ſpiritualem tantum Pontificis autoritatem indicari contendit idem RAYNAVDVS. Quare noſtrum non eſt, ut iis immoremur, utpote iam unice ad poteſtatem Papæ temporalem circa negotia mundana, gentiumque legale

legale arbitrium, attendentes. Interim non convenit ſatis inter Catholicos Romanos, an & quænam illi hoc ſenſu competat poteſtas. Quidam pleniſſimum ius in univerſum terrarum orbem, cum in rebus Eccleſiaſticis, tum Politicis, hic commemorant. Potiſſimum per Chriſti adventum, omne dominium præcipue infidelium translatum eſſe in Eccleſiam, & reſidere in ſummo Pontifice, ut vicario ſummi & veri regis Chriſti, & ideo poſſe pontificem regna infidelium ſuo iure donare, quibus fidelium voluerit. Secunda ſententia eſt priori e diametro oppoſita, pontificem, ut pontificem, ex iure divino nullam habere poteſtatem temporalem, nec regem regno privare poſſe, licet mereatur. Atque hæc tribuitur hæreticis. Tertia opinio diſtinguit, ſcilicet directo non habere papam hanc poteſtatem, bene tamen per indirectum, ad ordinem, ut loquuntur boni ſpiritualis, temporalia ſiquidem ſubordinanda eſſe ſummæ poteſtati ſpirituali. Quæ ſententia vera & catholica appellatur. Res ipſa declarari ſolet per ſimilitudinem carnis, quæ laicos principesque ſeculares repræſentat, & ſpiritus, qui clericorum ſimulacrum eſt. Sicuti enim caro ſi ea agat, quæ ſpiritui officiunt, a ſpiritu caſtigatur, ieiunium aliæque afflictiones ipſi indicuntur: ita, ſi politica poteſtas repugnat fini clericorum, ſpirituali poteſtate omnino coercenda eſt. Vsque adeo plane, ut Pontificis ſit iudicare, an v. c. rex infidelis, aut hæreticus deponendus ſit, an non deponendus ſit. *

§. III. In corpore Iuris Canonici multa habentur, quæ omnimodæ Papæ poteſtati patrocinantur. Sic Nicolaus II, *beato æternæ vitæ clavigero*, TERRENI ſimul & COELESTIS IMPERII IVRA commiſſa *c. 1. diſtinct. 22.* contendit. *Quascunque lites inter Chriſtianos ortas ad eccleſiam deferri & ab eccleſiaſticis viris decidi iubet, excommunicationis pœna in reluctantes ſtatuta can. 7. Qu. 1. c XI.* Nec aliter Papa MARCELLINVS. Mens INNOCENTII III. ut recte ex ſumma textui præmiſſa patet, eſt, ut Imperator non *præſit* ſacerdotio, ſed *ſubſit*, ſed *obediat c. VI. de Mai. &*

 obe-

* *Conf.* ROBERTVM BELLARMIN. *L. V. de Rom. Pontif. C. I. & VI.* Vnde noſtra excerpſimus. Nec aliter DIANA aliique, quos citat SABE[illegible] §. *papa n. 8. ſc. in ſumma tractatuum.*

obedient. Apertius temporalem poteſtatem ſibi tribuit BONIFACIVS VIII. *uterque* inquit *gladius* ſpiritualis & materialis eſt in poteſtate eccleſiæ, certe qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, male attendit verbum Domini proferentis, *converte gladium tuum in vaginam*, licet gladius ſpiritualis ab eccleſia, materialis pro eccleſia exerceatur, *in manu regum*, hoc tamen fit ad *nutum & patientiam ſacerdotum: c. 1. Extrav. commun. de Mai. & obedient:* Plane omnes Cæſares Romanæ eccléſiæ fidelitatem iurare debere, infert CLEMENS V. *c. 1. Clem. de iurei.* Immo iudice IOANN. XXII. ſede imperii noſtri vacante, totius imperii gubernatio atque iurisdictio redit ad Papam. Poteſt autem cum his iuris Canonici traditis tertia opinio de Papæ in temporalibus poteſtate facile conciliari. Nam initio caſu aliquo eveniente, nullo negotio a curia Romana prætextus aliquis reperitur, quaſi huius vel illius principis inſtitutum, *cum fine ſpirituali* pugnaret. Vt poteſtas Papæ, quæ extra ordinem tantum, aut per indirectum in temporalibus exerceri debebat, ordinaria, & ut in textibus iam iam allatis, ſtatuitur, directa fiat. Deinde ſatis ſibi reſpondent formulæ BELLARMINI: *propter finem ſpiritualem per indirectum*, &c. verba BONIFACII: *ad nutum & patientiam ſacerdotum.* Vnde Bellarmini & ſequacium artes & cautiones ſatis evidenter apparent, poteſtatem temporalem ſcilicet verbis Pontifici adulatores abiudicant, in effectu autem ſub vocabulis: *indirecte* &c. plena manu largiuntur. Succeſſor BONIFACII CLEMENS V. ita volente Philippo Gallorum Rege, in *Cap. 2. Extrav. Commun. de privileg.* emollivit hanc conſtitutionem, quaſi ſpeciatim iuribus Regum Galliæ non debeat præiudicare. *vid. Goldaſt. p. 74. Replic. pro Imper.* quem fruſtra ſuggillat GRETSER. *in Defenſ. p. 121. ſq.* Cœterum huc quoque pertinent illa iuris Canonici loca, ubi Pontifices eorumque aſſeclæ in genere nimis magnifice de poteſtate Papali, & nimis abiecte de regum Maieſtate ſentiunt, v. c. quod illa *auro pretioſior*, *hæc vix plumbo* comparanda. Imo quod Clerici ſint BILEAM, Laici ASINVS eius *vid. c. 10. diſtinct. XCIII. c. 41. c. 31. Cauſ. 2. Quæſt. 7.* * §. IV.

* Sed de his conf. *diſſert. de Ration. decid.* Dn. KRESSII *c. 3. §. 9. 10. Præfat. eiusdem ad* PVFFEND. *de habitu religion. not. ad eund.*

§. IV. Neque vero aliter egit curia Romana, quam in hoc argumento docuit. Qualem ſe geſſerit GREGORIVS M. *1. cum Phocas Cæſari Mauritio rebellaret, oſtendit huius epiſtola XII, ubi angelis præcipit, ut in honorem Phocæ, *gloria in excelſis Deo* canere debeant. Quomodo NICOLAVS I.*2. pro imperio cum Lothario & Carolo Calvo Cæſaribus egerit, partim ex iure Canonico, partim ex epiſtolis NICOLAI conſtat. Noti dein ſunt GREGORII VII. *3. inauditi auſus, quantam ſibi poteſtatem tempore Henrici IV. arrogaverit. Nec PASCHALIS II. *4 eo melior, qui Henrico V. fidem ſacramento datam fregit, idem de CALIXTO II. dicendum, qui per varias artes ius epiſcopos inveſtiendi ei extorſit. *5. Ad eundem cenſum pertinent ALEXANDER *6. III. qui Fridericum I. mire afflixit, GREGORIVS IX. *7. qui Fridericum II. turcarum Solymanno prodidiſſet, niſi hic cordatius & ſincerius cum eo, egiſſet. Nec melioris notæ ſunt IOANNIS XXII. *8. contra Ludovicum Bavarum machinationes.

*1 De Gregorio Magno *vid.* ARNOLD. in der Kirchen und Ketzer-Hiſtorie *L. VI. c. 1. §. fin.*

*2. Valde hic Pontifex pomæria poteſtatis Pontificiæ protulit *vid.* RHEGINON. *ad annum 968. p. 49.* e iure Can. *conſ. diſtit. 62. c. 4 5.* NICOLAVS ius conſtituendi Epiſcopos Lothario in dubium vocat, atque in eum mire invehit. Craſſior atque indecentior adhuc eſt increpatio eiusdem Papæ, qua in *can. 69. cauſ. XI. Qu. 3.* eundem Cæſarem caſtigat. Sed in epiſt. XXX & XXXV. inſignis plane audaciæ ſpecimen dedit NICOLAVS ad Carolum Calvum. Nam initio adeo ſe non excuſat, quod raptorem filiæ regiæ Balduinum defendiſſet, ut aperte regi ſcribat: *Patrem ſæpius filium dilectum non reprehenſibilem flagellis erudire & Deum Jobum innocentem afflixiſſe.* Deinde dictum IOBI: *ſub quo curvantur, qui portant orbem, de* regibus & Papa interpretatur. Nam *Baſileus* inquit, *eſt quaſi baſis mundum ferens.*

*3 De arbitriis huius Gregorii affectatis agit IVST. CHRISTOPH. DITHMAR. P. P. Francofurt. *in Vit. Gregorii VII.*

*4. De hoc vide ſcriptores quos edidit GOLDAST. in Replic.

*5. *vid.* VRSPERG. SIGBERT. *&c.*

*6. *vid.* OTTON. FRISING. *&c.*

*7. ARNOLD. *d. l. L. XII.*

*8. De hoc confer. HERVVART. *Tract. pro Ludovico Bavaro conſcripto.*

Præcipue his Pontificibus nihil magis in promptu erat, quam fulmen excommunicationis, quo pro arbitrio in temporalibus, contra Cæſares abutebantur. *9.

§. V. Enim vero quid tandem de poteſtate Pontificis in temporalibus ſtatuendum eſt, deque iure illius inter gentes harumque principes arbitrium pronunciandi tenendum? Quod illam attinet optime ſimpliciter dicitur, quod Pôntifici, qua tali, nec *per directum*, nec *per indirectum*, ulla temporalis poteſtas in regnis principatibusque competat. Vt hæc aſſertio probetur non opus eſt, principes regesque ſeculares pro ſe habent præſumtionem, ut vel ipſa nominis ratio indicat. Nec enim ſecularia iura a temporalibus differunt. Nec aliud vocabula

---

*9. Atque hæc excommunicationum, aliorumque actuum turbulentiſſimorum iniuſtitia, non tantum olim ab ipſis Imperatoribus, a GOLDASTO *in Replic. pro imper.* aliisque doctis Proteſtantibus, ut præcipue CONRINGIO noſtro, ſed etiam a viris doctis Catholicis ſatis notata eſt. Sic ALVAR. PELAGIVS *in tract. de planctu eccleſ* ſub Joh. XXII. Anno 1332. conſcripto. *De eccleſia* (ſub qua vero ſimiliter & Papam comprehendit) ait: *& quia eccleſia non fuit Deo & ſpiritu eius contenta, ſed manus ſuas miſit ad appetitum & poſſeſſionem terræ inanis & vacuæ & in terrenis voluit dilatari, non contenta terminis ſuis etiam temporalibus legitimis, quos habebat, extitit ingrata Largitoribus patrimoni (conſtantinus diſtinct. 96) Quod ad ſuam &c.* Ita & HERVVART. *p. 160. 161. in defenſ. Lud. Bavar. Cum Pontifices eandem humanam cum aliis conſtitutionem obtineant, utique etiam humanis malis obnoxii ſunt. Boni eſſe poſſunt, mali eſſe poſſunt & aliquando fuerunt, ſine religionis noſtræ detrimento, nam & caput in humano corpore, non ſemper ab omni parte ſanum eſt, & tamen caput eſt. Ita Pontifices Dei vices gerentes, poſſunt etiam animam infra habere & meliora docere, deteriora facere.* Nec aliter AVTOR pereruditi ſcripti *du droit de l' Empire ſur l' etat eccleſiaſt. p. 193. Durants ces cruelles diſſenſions (tempore* Henrici IV.) *entre le Sacerdoce & l' Empire, les Papes tacherent d'* AVGMENTER *leur domaine temporel emploiant les* EXCOMMVNICATIONS, *les guerres & les aillances.* Vnde inclytus quidam copiarum Cæſaris Joſephi in Italiam contra Papam miſſarum DVX, excommunicatione ſui exercitus audita, non ſine ſale dicebat *gregarios milites aliquando quidem fame, aut alio infortunio periiſſe, non autem Paparum excommunicationibus.*

cabula *Politiæ* & *Eccleſiæ* inſinuant. Nec fabuloſæ explicationes duorum gladiorum Petri & diverſitas utriusque ſalutis temporariæ, quæ ad principes revera ſpectat, atque æternæ, quam Paſtor Romanus, ſive papa ad ſe pertinere ſuis oviculis perſuaſit, aliud docent. Ergo probent, qui contrarium aſſerunt, Papæque temporalia iura, qua tali, adſcribunt. Sed caveant, ut ad ipſos Papas quosdam provocent. Hi enim ſunt teſtes in propria cauſa & inſuper variantes, aliquando enim non tantum temporalia in Principes tranſcripſerunt, ſed quod magis eſt, ſecundum leges Principum cauſas ſuas diſceptari, propriamque ſuam perſonam iudicari paſſi ſunt. Caveant porro, ne provocent ad Jeſuitas, nam hi ipſo ſuo voto quarto, a quo nunquam diſpenſantur, coecam obedientiam erga Papam profitentur, adeoque ſunt teſtes, quibus ſtylo iuris civilis imperari poteſt, hi vero non admittuntur. Imo caveant ab allegationibus omnium Doctorum, quia nec hi Papæ dare poſſunt, quod ipſi non habent. Si vero, ut teſtes citantur, vel de iure divino, vel humano, ſeu privilegiis a ſecularibus principibus, quibus iura temporalia Papæ, ut tali, conceſſa ſunt, teſtari, & ubi atteſtata ſua in forma probante extent, indicare, atque ſi poſcitur eadem producere debent, cum referens nihil probet ſine relato, ut nihil dicam de Doctorum varietate & mutua contradictione, quæ duo vitia alias quoque teſtibus de iure opponuntur. Nec in Metaphyſicis terminis hic præſidium quærendum, quaſi Papa haberet omnem poteſtatem *in habitu*, temporalem vero quoad *actum*, conceſſiſſet ſecularibus. Nam ſatis notum eſt, quod, qui ſe aſſerit *cohæredem*, antea probare teneatur ſe eſſe *hæredem*. Ergo & qui Papæ cauſam circa *diviſionem* temporalium iurium hic agunt, *coheredemque* reſpectu *habitus* Papam faciunt, antea rem conficiant in *hereditatis petitione*, oſtendantque, quo iure, civili, an prætorio, ab inteſtato, an ex teſtamento, vel pacto, Papa unquam in temporali iure *heres* fuerit. Tandem, ſi omnia circa probationem abſoluta, ſecularibus non tantum exceptiones ſuæ diſputationesque, verum & reprobationes ſalvæ, atque integræ, ſecundum regulas omnis Proceſſus relinqui debent.

§. VI.

§. VI. Ex his ultro profluit ſolutio quæſtionis ſecundæ de Paparum LEGALI ARBITRIO. Scilicet arbitrium hoc, prout ſupra allata definitio oſtendit, eſt ſine dubio ius temporale ad finem temporalem, armis etiam, ſi opus aliisque mediis temporalibus collimans. Itaque ab eius exercitio Papa, qua talis eſt alienus. Nec obſtat, quod papa IVDEX mundi, omniumque ARBITER dicatur, apud RAYNAVDVM. Nam prior titulus nititur teſtimonio PETRI BLESENSIS, poſterior ANASTASII. Enimvero uterque fuit Papæ addictus, imo ſubditus, teſtisque, cui Papa potuit imperare. Et dein ipſæ RAYNAVDVS hæc elogia ad ſpiritualia refert. Tandem ſcimus, quod in Philoſophorum ſcholis, talia ſint prædicata, qualia & quo ſenſu admittuntur eſſe a ſuis ſubiectis. Nec porro moramur, quæ PALLAVICINVS habet *l. XII. c. 3. §. 12. Hiſtor. Concil. Trid.* ubi de cauſis agit propter quas hierarchia papalis, tam altas radices egerit, tamque firmo hactenus ſteterit talo. *Aliud*, inquit, *eſt emolumentum dictæ* ſcilicet Hierarchiæ, *quod hac ratione adſit* SEQVESTER *quidam* CONCORDIÆ *inter Principes Chriſtianos, ad cuius officium & commodum pertinet eam curare, quo chriſtiana reſpublica ſibi obtemperans ſit validior, adverſus infideles, aut contemtores, aut hoſtes ſuæ autoritatis & cui tanquam communi parenti, poſſint principes iniuriæ ulciſcendæ ius commotique animi ſenſa condonare.* Nam hic tantum in genere Papæ pacis, concordiæque *cura* commendatur, non autem in ſpecie LEGALE ARBITRIVM, per vim & arma aliquando, ubi opus eſt exercendum, attribuitur. Nec alia ratio, quam THOMASSINVS *Tom. III. L. I. c. 27. §. 9. de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl.* pro Papa in medium profert, rem pro eodem ſolide decidit. *Nempe putat, quod Papa ſit paſtor univerſalis, adeoque univerſi orbis Chriſtiani ſaluti incumbere debeat, cum gregis ſui eſſent corpora & animæ, eſſent ſpirituales* TEMPORALESQVE *neceſſitates, proindeque bipertienda ſit Papæ cura, ne qua ex parte gregi ſuo deſit.* Teſtem huius veritatis laudat THOMASSINVS CASSIODORVM, cuius hæc ſunt: *Poſcitis* (nempe Papa Clericique) *ſpiritualiter vobis commiſſum gregem, tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ* CORPORIS *videntur ſubſtantiam continere.* Etenim vel uterque de elee-

eleemoſynis, deque operibus caritatis, aut cura & alimentis pauperum loquuntur, adeoque theſin noſtram non feriunt, vel ad arbitrium gentium, conſiliis armisque coniunctim tuendum, reſpiciunt (ut tamen non apparet) & tunc eadem facilitate eiusmodi aſſerta negantur, qua affirmantur.

§. VII. Enim vero dicis, numne nulla huius regulæ, Papam ab arbitrio legali gentium excludentis, datur exceptio? Age videamus cum ex mente aliorum, tum ex noſtra. THOMASSINVS *III. L. I. c. 26. §. 5. 6* 7. recenſet has ſpecies 1) violento bellico arbitrio locum eſſe, *ad obruendam hæreſin* *1. *hæreticosque templis ſuis excutiendos* 2) Papæ fas eſſe *ſupplendi* *2. *regum principumque, res ſuas minus ſtrenue gerentium, atque rempublicam ſuam per ſocordiam non curantium, negligentiam id. c. 27. §. 9. d. l.* 3) Exceptio eſt omnium ampliſſima & pluribus veluti prægnans, quam ex DIANA SABELLI refert, *in ſumma Tractatuum §. papa.* ſcil. *quod Papæ in toto orbe chriſtiano poteſtas temporalis adeoque &* ARBITRIVM *competat quatenus*

 (a) ad

*1. Hæreticorum violentam perſecutionem, oppreſſionemque non admittit regni Chriſti ſpiritualis indoles, ignorat hæc bella bellorumque inſtrumenta, nec aliis armis, utitur, quam quæ Eſaiæ. *Cap. XI. v. 4. 5. Ephef. VI. v. 15.* vel ad *Theſſal. V. v. 8.* deſcribuntur. Sunt autem: *baculus oris, ſpiritus labiorum, balibeus veritatis, lorica iuſtitiæ, clypeus fidei, galea ſalutis, gladius ſpiritus: Vnde* TERTVLLIANVS *ad* SCAPVL. *Religionis non eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi. Quum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulantur. Qui dicit ſe credere in Chriſtum,* ait HIERONYMVS, *debet, ut Chriſtus ambulare. Qui occiditur, Chriſtum imitatur, qui occidit Antichriſtum. Non eſt opus dicit* LACTANT. *L. V. c. 20 vi & iniuria, quia religio cogi non poteſt verbis potius, quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas.*

*2. Hoc ſupplementum nullibi eccleſiæ antiſtibus, vel in revelatione, vel ratione iniunctum eſt. Nec ipſi principum ſuperiores, nec tutores, aut curatores ſunt, quorum alias eſt inferiorum pupillorum, & minorum induſtriam ſupplere. Monere poſſunt Principes modeſte, quorum doctores ſunt, ut ipſi Principes ſuam incuriam, vel negligentiam ſuppleant. Alias ſi antiſtites ſupplementum ſibi arrogant, in regimine Politico omnia turbantur. Sane Chriſtus & Apoſtoli iudicum magiſtratus principumque ſui ævi ſocordiam & incogitantiam, nunquam ſupplere tentarunt.

(a) ad quietem (b) conſervationem & (c) eccleſiæ defenſionem ad bonum ſpirituale, ac (d) ad finem eccleſiaſticæ poteſtatis ſupernaturalem conſequendum opus. Item *(e) quatenus de diſcordiis in re gravi inter alios ſupremos principes neminem in temporalibus recognoſcentes, lis eſt,* *3. *quando timetur de bello ſeditione vel turbatione reipublicæ, ſive de fidei catholicæ, vel eccleſiæ detrimento.* Ne autem 4) circa exercitium ipſum papalis arbitrii ſcrupulus exſurgat, aut dubium remaneat, ſiſtit nobis THOMASSINVS c. 26. §. 6. d. l. exempla COELESTINI *4. & BONIFACII, qui hæreticos oppreſſerunt 2) Meminit Paparum ſub Imperatoribus negligentibus, *5. atque ſocordibus in genere c. 27. §. 9. 3) adducit GREGORIVM II. qui ſub Leone Iſaurico populum Roma-

*3. Cuſtodia pacis externæ huius mundi tam in eccleſia, quam in republica, non eccleſiæ præſulibus, ſed Magiſtratui Politico a Deo demandata eſt, diſerte Paulus ad *Roman. c. XIII. v. 6. Tributa magiſtratui ſolvite, quia* HIC *protectionem adminiſtrat* it. ad Timoth. *1. c. 2. v. 1. 2. oremus pro omnibus hominibus, pro regibus &* OMNI MAGISTRATV, *ut nobis* (clericis & laicis) *liceat agere vitam* TRANQVILLAM & QVIETAM, *in omni pietate & honeſtate.* Itaque ſolius politici magiſtratus eſt hoc munus ſuum circa pacem gladio ſuo exequi, ne iudice Apoſtolo illum gratis gerat. Eccleſiæ vero Antiſtitum, ſolummodo eſt magiſtratum huius ſui officii admonere, divinum auxilium precibus ſuis apud Deum magiſtratui expetere. Minime gentium autem per vim intercedere, aut ARBITRARI, quicquid DIANA aliique ieſuitæ dicant.

*4. Cœleſtinus I. Novatianis domus ſuas religioſas per vim abſtulit, tantumque metum illis incuſſit, ut illorum Antiſtes RVSTICOLA in publicum prodire non auderet, *vid.* SOCRAT. *L. II. c. 30. L. VII. c. 11. Hiſt. Eccleſ.* Magno quoque impetu per Cyrillum contra Neſtorium egit, eique revocationem intra decendium, ni ſede moveri vellet, iniunxit vid. *epiſt.* COELEST. *p. 299. apud* SIGON. *Hiſtor. occident. imperii.* Vltimo, ut decet, Imperator THEODOSIVS partes ſuas interpoſuit, deque Cyrilli & Neſtorii auſu iudicavit *p. 265. n. 30.* SIGON. *d. l.*

*5. Reſpicit, hic valde probabiliter THOMASSINVS noſter ad tempora Henrici IV. V. Fridericorum I. II. Ottonis IV. Ludovici Bavari &c. Verum his temporibus, Papæ, bona Imperatorum officia, vel prætenſam negligentiam, non ſuppleverunt, ſed iniuſto auſu omnia in imperio turbarunt, bellum ex bello ſeruerunt, imaque ſummis miſcuerunt, adeoque nullum hic *ſupplementum*, verum omnis miſeriæ *complementum* deprehendimus.

manum a rebellione & ſeceſſu continuiſſet. GREGORIUM III. qui eidem imperatori Iconoclaſtæ præſto adfuiſſet c. 29. §. 3. 4. 5. 6. ZACHARIAM, qui Luitprandi iram, in ſtatum Romanum detonantem, ſedaſſet. STEPHANI III. *6. qui pacem ab Aiſtulpho rede-

*6. De Gregorio II. Anaſtaſius in vita eius refert: *Cognita Imperatoris* (Leonis ſcilicet Iſaurici,) *nequitia omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem & Conſtantinopolin ducerent. Sed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis.* Enimvero hæc vera cauſa non fuit, ſed hæc, quod papa ipſe Italiam ſibi deſtinaverat, inde nolebat novum imperatorem a populo eligi. Quare veriora ſunt, quæ ZONARAS *P. III. annal.* refert: *Gregorium hunc Leonem Imperatorem anathemate obſtrinxiſſe, vectigalium ſolutionem Romæ Italis inhibuiſſe inito ſimul cum Francis fœdere,* qui auſus ſane legalis arbitrii fines evidenter excedunt. Nec tale quid ab hoſte etiam publico Leo Cæſar merebatur. *conf.* SPANHEM. *p. 74. in hiſt. imag. reſtit.* Occaſionem poteſtatis ſuæ fimbrias ampliandi papis funeſta illa de imaginibus contentio ſuppeditabat. Vnde & THOMASIN. §. 2. *in fin. d. c. 29.* ultro fatetur, quod Leonis hæreſis, *Italiam Papæ ſtrictius devinxiſſet.* Sed longe ſolidius SPANHEM. *p. 78. 79. ſeqq.* totam hiſtoriam exponit. Gregorius M anteceſſoris ſui veſtigiis inhæſit, & narrante PLATINA *pag. 103. in vit. Pontif.* Leonem imperio fideliumque communione privavit. Primum cœtera in Leone ob diſſenſum a Praxi eccleſiæ a papa exauctorati regis exemplum obſervat SPANHEM. *p. 83. d. l.* ZACHARIAS RACHIDEM Longobardorum Regem, ut derelicto regno monaſterium ingrederetur, induxit, Francos quoque a iuramento Childerico præſtito abſolvit, & Bonifacio Pipinum inunguendi munus dedit *Annal. Franc. &c.* apud SCHATEN. *Hiſt. Weſtphal. p. 480.* Per eundem Bonifacium ad vitam monaſticam perſuadebatur Carolomannus, quem ZACHARIAS habitu monachali Romæ induebat. Stephanus III. Pipino ad debellandum Aiſtulphum uſus eſt Paucis: *his tribus a* THOMASSINO *laudatis papis inter artes erat, quem ferre nolebant imperantem, vel vi, vel clam, vel precario de ſolio deturbare.* Qui plura exempla regum a papis pro arbitrio iniuſto depoſitorum legere cupit, adeat BZOVIUM, qui in *Lib. de Rom. Pontif. anno 1618. Coloniæ excuſo*, ultra XXX. exempla refert. Præcipue notanda eſt cauſa depoſitionis Hilperici, quæ ZACHARIÆ Papae fuit, *quod tantæ poteſtati eſſet inutilis c. XV. Qu. 6. c. alius.* Ecquis vero Pontificibus id poteſtatis dedit, ut ſecundum beneplacitum ſuum, quinam Imperatores *inutiles* ſint, *arbitrentur?* Caveant, ne hac occaſione contra ipſos Laici, *utilitatis* mentionem audientes, actionem inſtituant, ex titulo: *Quod quisque iuris in alium ſtatuerit &c.*

redemiſſet, deinde vero contra eundem paulo poſt pacta violantem, neceſſitate ita ſuadente Pipinum in Italiam acciviſſet. Sed ultimo THOMASSINO *c.30. §. 11. d.l.* aliquis ſcrupulus incidit, qui quondam aliquamdiu etiam PASCHALEM ſollicitavit, ſcilicet annon forte melius eſſet, ut magnifico animo Papa cum ſuis Præſulibus Ducatibus, principatibus, aliisque territoriis ſe abdicaret, curamque provinciarum in ſeculares tranſcriberet, in ſola ſpirituali contemplatione, cœleſtiumque ſtudio animum dein collocaturus. Sed mox ſcite addit: *Sanctiſſimos etiam patres, olim vehementer ingemuiſſe de his temporalis rei eccleſiaſticæ avocamentis & ſpinis, uti & de iudicum partibus ſuſtinendis ad innumerabiles fidelium lites componendas aut dirimendas, indoluiſſe inquam de ea ſarcina.* Sed quid ulterius? & illam forte *ſepoſuiſſe*, vel *plane abieciſſe?* Imo minime gentium, ſed *retinuiſſe* tamen. Quare? *Quod caritas* (illa ſc. quæ incipit a ſeipſo) *hoc illis oneris impoſuiſſet, ut regnum ſuum amplificaret.*

§. VIII. Ex noſtra autem mente recte attribuitur Papis 1) arbitrium *convencionale*, ſi partibus ita expreſſe placet, ut initio compromiſſo Papa arbiter conſtituatur, ut ante annos aliquot factum in famoſa lite de ſucceſſione Caroli Electoris Palatini Simmeranæ ſtirpis ultimi, ubi Papa a Duciſſa Aurelianenſi & Palatino ad laudum pronunciandum electus eſt. Quod laudum præter alios recenſet ZECH. *1. Sed magis notabile adhuc ex Becmanno in notis dabimus. *2. Dein non denegamus Papæ

*1. In dem Europäiſchen Herold / *p. 305.*

*2. I. C. BECMANN. *Hiſtor. orbis terrarum Geographica & civili c. I. §. 13. p. 11. tert. edit. Locus, ubi primus Meridianus collocandus, aut in quo primum numerandæ longitudinis initium quærendum ſit, quæſtionem Geographis noſtri temporis præbuit, tanto nobiliorem, quanto notatu digniorem occaſionem habuit. Ac veteres quidem Geographi & in iis Ptolemæus cum in Canariarum unam, quam Junonem nominabant, collocare ſolebant, quippe rati Canarias in extremo Occidente ſitas eſſe; Nec ſub initia creſcentis Geographiæ, de alio cogitatum fuit. Nam quia res arbitrii humani erat, ideo non multum referebat non neceſſariis cogitationibus hac in re fatigari, & utrum Meridianus in Canariis manere,*

Papæ arbitrium auctoritatis. Quod monitis conſiliisque ad pacem ineundam, non minis & armis abſolvitur. Nam pacem

 per

nere, an alio commodius transferri poſſit, expendere. Cum vero anno 1492. Columbus Americam detegeret, & Ferdinandus Catholicus eam a Pontifice ſibi dari poſceret, Rex Portugalliæ, Johannes indigne ferens, hoc modo tot Regionum, opum, hominum Dominium ſibi præripi cauſam ſuam apud Pontificem egit, quidem, ſed tum temporis impedire non potuit, quin Ferdinando de Apoſtolicæ ſedis plenitudine omnes Inſulæ & regiones &c. concederentur, poſt lineam a polo Arctico ad Antarcticum ductam & centum Leucis ab Azoribus & Inſulis Promontorii Viridis diſtantem. Mox vero Ferdinandus & Johannes mutuo pacto concluſere circulum Pontificis CCLXX. Leucis removendum, & quod ultra eum reperiretur Caſtellanorum, cis Portugallorum futurum eſſe. Vid. Anton. Herrera Deſc. Ind. Lib. II. cap. 8. 9. 10. Maff de rebus Ind. Lib. I. Dum igitur pactis hiſce ſtabatur, Portugalli circa initium præcedentis ſeculi Braſiliam partem Americæ Meridionalis, occuparunt & partibus ſuis ſe probe defunctos rebantur. At vero Braſilia non ita potiebantur, quin paulo poſt & pactorum & Braſiliæ occupatæ ipſos pœniteret. Anno 1519. enim aggreſſus navigationem Auſtralem, Ferdinandus Magellanus & freto, quod Magellanicum dicunt, feliciter invento, Mare Pacificum emenſus Moluccas adiit: quem ſecuti Franc. Garcias & Godofred. de Loyauſa Anno 1525. easdem eodem itinere & ſex Navium claſſe petiverunt; & cum Portugallorum Archithalaſſo æmuli Moluccarum Rege Ternatæ & Tidoris eas quaſi obtuliſſent, dum uterque ab ipſo auxilium peteret, Archithalaſſus etiam Albukerkius ſummo Portugallorum lucro uni ſeſe adiungens utroque potiretur: Caſtellani eadem occaſione uſi, alteri ſubvenire ſtudebant, qui a Portugallis obrui videbatur. Hinc quoque ipſis liber in Moluccas aditus patefactus, alter Regum a cuius partibus Portugalli erant, paulo poſt ſubrutus, & Portugalli Moluccis exuti. Res hæc ab initio ſtatim graviſſimo bello in Europa terminandæ videbatur, quod tamen qualitercunque declinatum eſt, dum utrique ad Bullam Pontificis & pacta olim ſancita ſibi redeundum, vel ſaltem dimenſionem exactiorem ineundam exiſtimarunt. Itaque Anno 1524. tentarunt eiusmodi quid, ſed irrito ſucceſſu: Nam principiis & dimenſionibus nimium quantum diſcrepabant; Portugalli ab Inſula Salis, quæ maxime orientalis eſt ex Inſulis de Capo Verde, ducentas & LXX. Leucas ſuas ordiebantur, exiguam iacturam exiſtimantes, ſi tot Leucas in continenti Americæ amitterent, modo easdem in Oriente lucrarentur & Moluccas ſuas facerent. Hiſpani vero ſeu Caſtella-

per verborum pondera provocare laudabilis res eſt, nec a clericorum conditione abhorrens, quippe in quem uſum inter alias cauſas, olim etiam apud Gallos, ethnicos adhuc, Druides *3. colebantur. Videtur 3) concedendum quoque Papæ, ut portionis Italiæ Principi ius belli exercenti ARBITRIVM LEGALE noſtrum. Modo in hoc nihil eorum agat, tentetve, quæ ſupremo Imperatoris in ſtatum eccleſiæ iuri, *4. ſupremoque Advocati in ſedem Romanam *5. muneri, vel iurisdictioni imperiali, in Italiæ Principes, ullum præiudicium inferant. Enim vero longe ſatius eſt, turbis in Italia exortis, vel eccleſiæ Romanæ ſtatu periclitante, Papas auxilium Romanorum Imperatorum implorare, ut decet clientes & fas eſt omnino in hoc argumento. Atque ſic ſenſim ad portum deducti

ſtellani ab Inſula S. Antonii, quæ XC. Leucis magis declinat ad occidentem, initium ſumebant. Neque de latitudine continentis Auſtralis Americæ inter Puerto Veyo ad oram Maris Pacifici & Cabo de St. Agoſtinho ad mare Atlanticum, quibus maxima Americæ latitudo comprehendi putabatur, inter ipſos convenire potuit. Cum Hiſpanni illam LI. gradibus. Portugalli LV. definirent, utrique Regum ſuorum cupiditatibus obedientes & animo in Moluccas intentiſſimo. Ex qua varietate fluxit quoque varia illa Indiæ Occidentalis diſtributio. Quam ſola America concludunt Portugalli. Caſtellani vero eidem præter Moluccas, Philippinas, Inſulas Salomonis Novam Guineam, Japoniam &c. accenſent. Vid. Herrera deſcrip. Ind. Occid. c. 26. De illa vero Portugallorum & Caſtellanorum Lite legendi Gomara Hiſt. Gen. Ind. L. IV. cap. X. & ſeqq. & Laet. deſcrip. Ind. Occid. Lib. XV. c. 1.

*3. Ita enim CAESAR *de bell. Gall. Lib. 6 Druides ſacrificia publica ac privata procurant & in magno honore ſunt apud Gallos, nam fere de omnibus controverſiis publicis privatiſque conſtituunt.* conf. CLVV. *L. 1. c. 24. Germ. Antiqu. ibique citat* DIODOR. STRABON.

*4. De quo iure CONRING. *Tr. de fin. imp.* AVTOR *du droit d' Empire ſur l' etat ecclef.* quamvis hic iura antiqua Cæſarum defendat ad recentiorem autem Italiæ ſtatum deſcendere nolit, ut plus vice ſimplici proteſtatus eſt.

*5. De quo iure MAGERVS *c. V. de advocat. armat.* MVLZ. *in repræſ. Imper.* paſſim. Alias extat huius advocatiæ Cæſareæ promiſſio in *§. 1. Capitul.* glorioſiſſimi CAROLI VI. Licet Electores proteſtantes hanc non adeo urgeant.

ducti ſumus, diſſertationemque noſtram finimus. Votum tantummodo addentes devotum, ut ſupremum Numen, quod hactenus REGEM NOSTRVM ſingulari gratia, peculiarique providentia reſpectavit, dignumque cœptis prœmium EI tulit, ut nunc in eius ſacratiſſima perſona, Inclyta DOMVS BRVNSVICENSIS ad id faſtigii, quod admiratur orbis, evecta ſit, EVNDEM porro tanquam VNCTVM SVVM contra omnes hoſtium conatus & vota, ſalvum & incolumem ſervare, domum ipſius utriusque ſexus exoptatiſſima prole efloreſcere, atque æternam & immortalem eſſe iubere velit. Præcipue conceptis votis exoptandum eſt, ut MAXIMI REGIS conſilia pro tuenda, recuperanda & in futurum firmanda communi gentium pace, diſſipandisque ſapientiſſimo inſtituto diſcordiarum bellorumque turbinibus, in perpetuum proſpere ſuccedant, quo virtutis pietatisque exercitio diu ſua conſtet ſecuritas, gaudiisque noſtris ſub TANTO ARBITRO ſuum complementum.

ADDENDA

ad * 8. §. IV. p. 12. extract. Abbatis St. Petri, quem vocat Diſcours ſur la Polyſynodie, Avantage 20. p. m. 96. 97 - 101. ubi de cauſis bellorum ſub Ludovico XIV. indeque ortis malis ita diſſerit:

Telle eſt l' origine, telle eſt la cauſe de nos premieres guerres. Ce fut non le vray interêt du Roy non le vray interêt de ſa gloire, non le vray interêt de l' Etat, qui le determinerent a troubler le repos de l' Europe; mais cè fut le vray interêt du Miniſtre de la guerre; Sans cet interêt particulier de ce Miniſtre, le Roy n' auroit jamais commence ces premieres guerres, qui furent offenſives de ſa part; & vray-ſemblablement il n' auroit jamais été forcé de ſoutenir les dernieres, qui furent offenſives de la part de nos voiſins & qui ont été ſi ruineuſes pour l' Etat.

Que l' on regarde le Succes de ces guerres du coté de l' utile que l' on ſuppute, ſi ce qu' elles nous ont produit, vaut plus qué ce qu' elles nous ont couté. Nous avons eu trente ans de guerre depuis 1668. jusqu' a preſent. Le Roya tiré des Francois toutes les anneés de guerre plus de cinquante millions de ſubſides extraordinaires, le fort portant le foible; c' eſt quinze cent millions, & outre cela le Roi doit encore en rentes en gages & en billets plus de douze cens millions: Ces deux ſommes ſont vingt-ſept fois cent millions, qui au denier vingt-ſept produiroient cent millions par an.

par an. L' interruption du Commerce a fait tort au Roy & a l' Etat de plus de cinquante millions par an, pendant ces trente anneés de guerre; cela fait encore cinquante millions de rente au denier trente. Or qui, ne ſait, que les Conquetes du feu Roy ne lui rapportent pas la huitieme partie de ces cent cinquante millions de rente, tous fraix faits? Et cependant je ne mets point en ligne de compte ni les hommes, que nous avons perdûs, ni la deſolation de nos Provinces frontieres, ni les pertes prodigieuſes que nous cauſent les fortunes immenſes des gens d' affaires.

Voila le coté de l' utile; qu' on regarde preſentement le coté de l' honorable: quelle opinion let eu Roy a-t-il laiſſé de luy à ſes voiſins? N' ont-ils pas crû, n' ont-ils pas ecrit, qu' il etoit un Voiſin facheux, ſans parole, iniuſte, & d' autant plus digne de leur haine, qu' il employoit Plus de puiſſance a les ruiner? Je ſay bien, que l' ideé que l' Europe en avoit priſe, lorsqu' elle ſ' etoit ligueé contre luy, n' etoit pas bien fondée; mais cependant elle etoit telle & il y avoit malheureuſement donné occaſion; & on ne peut pas dire; que notre reputation ne depende de l' ideé que nous donnons auxautres de notre caractere. D' un autre coté a-t-il, force ſes ſujets par l' abondance, qu' il leur a procurée à regreter ſon adminiſtration? Plut a Dieu! que pour ſa reputation & pour notre utilité, il eut eté durant tout ſon regne occupé a faire fleurir le commerce, la diminuer tant d' obſtacles qui le gêne, a augmenter les facilites, qui le multiplient; a paver les grands chemins, a les rendre encore plus ſurs; a rendre les rivieres navigables; a rendre nos loix plus propres pour diminuer le nombre des procés; a perfectionner la maniere de lever les ſubſides, de ſorte que les peuples eu payaſſent moins; & qu' il en revint plus aux coffres public; a perfectionner les etabliſſemens qui regardent les bauvres, & l' education des enfans, a favoriſer les arts & les ſciences, a proportion de leur utilité, a trouver les moyens de faire diſtribuer les emplois & les recompenſes avec juſtice & ſaus egard pour les recom-

man-

mandations; a ôter la venalité des charges, les ſurvivances & les Brevets de retenuë; a diminuer nos beſoins, en diminuant nos jeux de hazard; a perfectionner nos moeurs : en trouvant les moyens de rendre la vertu & ſes talens utiles, plus honores, plus reſpectés, plus juſtement recompenſés.

Il pouvoit facilement devenir le conciliateur de l' Europe & forcer ſes voiſins ambitieux & impatiens, a convenir d' arbitres pour terminer leurs differens, ſans ſ' expoſer aux malheurs de la guerre: Il n' avoit qu' a, ſe declarer hautement contre, quicunque auroit refuſé d' executer les jugemens de l' arbitrage. Plut a Dieu! qu' il eut ainſi donne la paix a l' Europe, pendant cinquante trois ans, qu' il a gouverné par luy meme: Son nom eut ête en benediction a toutes les Nations Chretiennes; & peut on dire que la reputation, qu' il a acquiſe par la guerre, ſoit comparable a celle qu' il auroit pû acquerir, en maintenant, l' Europe en paix.

Aφ 1 1475600